A soli excæcati fuimus? nunquid & illis hoc idem accidit? Quidam ex Christianis cùm hæc audivissent, alta voce dixerunt: Absit. Nos equidem Christiani gratia ejus inexplicabili ipsum contemplati, acutiùs & meliùs nunc cernimus, quàm ante: Vos soli cæci facti estis propter perfidiam & incredulitatem vestram. Cùm igitur omnes cæci essent, neque omninò viderent, Herbanus manu ductus ad Archiep. venit, & dixit ad ipsum: Omnis homo suum Deum intuitus, ab eo beneficium accipit; nos autem Deum tuum vidimus, & mala accepimus. Cui S. Archiepiscopus: Dominus, Deus ultionum, etiam nunc liberè egit. Secundùm vestras blasphemias, id est, impias contumelias, & sacrilega convicia vestra in illum, vobis factum est. *Herbanus*. Si malum pro malo rependis, cuinam postea nostra curanda committis? *S. Archiepisc.* Medicus membrum secans, quodcunque putruit, non ut auctor sectionis redarguitur; indignis enim oculis Dominum contuiti, excæcati fuistis. *Herban.* Ex omnibus, quæ abs te audivimus, & vidimus, hoc solum tibi restat, ut aperiantur oculi nostri, & Christiani omnes efficiamur. Quòd si hoc nobis non perfecerit, reddes rationem in die judicii pro no-
B bis. *S. Archiep.* Si vultis, ut spiritali lavacro perfundam, visum recipietis. *Herbanus:* Si nos perfuderis, & neque aperiantur oculi, quid futurum? *S. Archiepisc.* Unum, inquit, purifico lavacro abluam ex vobis, qui si visum non receperit, ne tunc hoc acceperitis. Hoc autem Herbano placuit, & omnibus. Atque cùm ex his unus cœlesti lavacro tinctus fuit, continuò apertis oculis visum recepit, & clamavit, dicens: Jesus Christus Deus est verus, & credo in ipsum. Hoc cùm audissent cæteri, cum alacritate magna ad sacrosanctum lavacrum accesserunt; & Christi signaculo accepto, cum Christianis annumerati sunt. Et factum est gaudium magnum, & lætitia Ecclesiæ Dei in illo, & diabolo damna multa. Herbanus etiam lavacro spiritali tinctus, & omnes qui cum ipso erant, mox oculis apertis, & in pristinum aspectum restitutis, Deum glorificaverunt. Deinde Herbanus attonitus ob operationem, seu visionem Domini & Dei & Servatoris nostri Jesu Christi dicebat: In cœlis erat Dominus noster Jesus Christus, quem stulti Patres nostri crucifixerunt, & occiderunt: & nos stupidi cum dormientibus, & in sepulchris jacentibus esse putabamus; & percutiens pectus, cum lacrymis dicebat: Here
C Domine, Jesu Christe, fili Dei vivi in veritate, ignosce mihi, quia tibi peccavi, ignorantia erga te affectus: Beatum quoque Gregentium reverebatur, & summo honore afficiebat, & ut Dei Angelum intuebatur, neque ab eo divelli potuit. Rex autem sciens Herbanum esse virum ornatissimum & eruditissimum, ejus in sancto baptismo fidejussor sive sponsor factus, ipsum Leonem nominavit, & unum sui Senatus declaravit, suum Patricium constituens, quæ Græci Καυκλείσια nominant. Ex Judæis autem, cum Herbano, circiter quinquies mille quingentis millibus lavacro spiritali tinctis, magna animi voluptate domos suas reversis, Regis jussu & Archiepiscopi, omnis Synagoga Judæorum, quæ omnibus regni ipsius urbibus habitabat, baptizatur. Et statim de consilio & sententia sanctissimi Archiepiscopi, Rex piissimus familias sive tribus, quas ipsi inter se habebant, dissipavit: & edixit, ut Christianorum familiis miscerentur. *Ex Gregentii Archiep. Tephrensis disput. edita Parisiis an.1586.*

MONS TRANSLATUS.

D His addam Historiam de Aniano sancti Marci Discipulo, è Catalogo Sanctorum desumptam, quæ sic habet: Ad Judæorum suggestionem, odio prosequentium Anianum Divi Marci Euangelistæ Alexandriæ successorem ac discipulum, Rex Babyloniæ mandavit, ut quia in Euangelio Christianorum continetur, quòd habentes fidem sicut granum sinapis montes transferre possunt, quatenùs Christiani montem magnum de loco suo transferent; alioquin aut fidem abnegarent tanquam falsam, aut capitalem sententiam omnes subirent. Episcopo igitur cum omnibus Christianis ex hoc admodùm afflicto, & Deum pro fide sua suppliciter exoranti, per Angelum revelatur, neminem ad hoc ex fide sua idoneum, nisi monoculum Anianum. Vocatus igitur ab Episcopo, omnique populo, indicto jejunio triduano, ipse consilio in Domino monti mandavit; mons continuò moveri cœpit de suo loco recedens, tantaque celeritate versus Babylonem veniens, quanta navis per æquora pellitur, eousque divinitùs delata, donec ad preces Regis monti mandavit, ut figeretur, ne in civitatem irrueret, & eandem opprimeret. Sicque ibidem fixus usque hodie manet. Propter quod miraculum Rex cum omni populo con- E
versus, Ecclesiam principalem in Babylonia in honorem Dei genitricis ædificavit, aliasque plurimas. *Pet. de Natalibus in Cath. Sanct. lib.9. cap.19.*

FIDES CHRISTIANA CONTRA ETHNICOS PER MIRACULA PROPAGATA.

EXEMPLA 5. SCRIPTURÆ.

☞ *Pete ex membro sequenti, De efficacia Fidei.*

VICTIMA ETHNICORUM DISSIPATA.

In fide Christi præ cæteris insigniter enituisse memoratur Asterius martyr, apud Cæsaream Philippi, quam Paneada Phœnices vocant. Ajunt, sub radice montis, qui appellatur Panius, ex quo fluvii Jordanis prima fluenta prosiliunt, monem fuisse Gentilis erroris, certa solemni die immolari victimam. Quæ victima arte quadam dæmonis subitò nusquam comparebat. Et erat hoc famosissimi miraculi genus, quo persuaderi adstantibus videretur, in cœlum hostiam invisibiliter esse sublatam. Accidit igitur, dum hæc gererentur, adesse Asterium: qui cùm videret omnes miraculi hujus stupore F
constringi, humanos miseratus errores, cum gemitu & suspirio oculos ad cœlum pariter tetendit & palmas; Christum, qui est super omnia Deus, tota fide profusis lacrymis invocat, ut præstigias fallacis Dæmonis arguat, miserisque mortalibus erroris hujus solvat arcanum. Hæc illo cum fletibus supplicante, subitò victima, quæ invisibiliter credebatur assumpta, superferri aquis videtur, & conspectibus omnium redditur. Nec ultra in illis locis error hujusmodi potuit reparari. Ita unius Christiani prece, tantorum sæculorum deceptionis machina cum auctoribus suis dæmonibus dissoluta est. *Euseb. Cæsar. Eccles. hist. lib.7.c.13.*

CEREI DIVINITUS ACCENSI.

Scribit Eugipius rem admirandam ad fidei Catholicæ veritatem contra idololatras confirmandam, in hæc verba: In Castellum, cui nomen Cucullis erat, devotionibus accolarum S. Severinus Noricorum Apostolus venerat advocatus; ubi pars plebis in quodam loco nefandis sacrificiis inhærebat. Quo sacrilegio comperto, vir Dei multis plebem sermonibus allocutus, jejunium triduanum per presbyteros loci persuasit indici; ac per singulas domos cereos offerri præcepit, G
quos propria manu uniuscujusque parietibus affixit Ecclesiæ. Tunc psalterio ex more decurso, ad horam sacrificii Presbyteros ac Diaconos vir Dei hortatus est, tota cordis alacritate communem Dominum deprecari, quatenùs ad sacrilegos discernendos lumen suæ cognitionis ostenderet. Itaque cùm multa largissimis fletibus cum eis fixis genibus deprecaretur, pars maxima cereorum, quos fideles attulerant, subitò est accensa divinitùs: reliqui verò eorum, qui prædictis sacrilegiis infecti fuerant, volentesque latere negaverant, inaccensi permanserunt. Tunc ergo qui eos posuerant, divino declarati examine, protinùs acclamantes secreta pectoris satisfactionibus prodiderunt, & suorum testimonio cereorum manifesta confessione convicti, propria sacrilegia testabantur. *Baronius tom.6. Annal. ad an.473.*

SUEVI IDOLOLATRÆ MIRO MODO AD FIDEM CONVERSI.

Apud Moguntiam sunt nationes Suevorum, apud quas cùm moraretur S. Columbanus, & inter habitatores loci illius progrederetur, reperit eos sacrificium profanum libare velle, vasque magnum, quod modò cupam vocant, quod viginti mo- H
dios ampliùs, nec minùs capiebat, cervisia plenum in medio positum. Ad quod vir Dei accessit, scisciturque, quid de illo vellent. Ajunt illi se Deo suo, Vadono nomine, quem Mercurium (ut alii ajunt) autumant esse, libare velle. Ille autem pestiferum opus audiens, vas insufflat, miroque modo vas cum fragore dissolvitur, & per frusta dividitur. Vas ergo dum rapido cum liquore cervisiæ prorumpit, manifestè est datum intelligi, diabolum esse in eo vase occultatum, qui per profanum liquorem caperet animas sacrificantium. Videntes autem barbari, stupefacti ajunt, magnum virum Dei habere habitum, qui sic posset dissolvere vas ligaminibus munitum. Castigatos itaque Euangelicis dictis, ut ab his segregarentur sacrificiis, domum redire imperat: Multi enim eorum tunc per beati Columbani suasum, vel doctrinam, ad Christi fidem conversi, baptismum sunt consequuti: alios, quos jam lavacro ablutos error detinebat profanus, ad cultum Euangelicæ doctrinæ monitis suis, ut bonus Pastor, Ecclesiæ finibus reducebat. *Ionas Abbas apud Baron.tom.8. Annal. ad an.612.*

MI-

A MIRACULUM CONTRA DANOS AD IDOLA RELAPSOS.

Anno Christi Domini 949. contigit contentionem fieri, uti habet VVitichindus illius temporis scriptor, super cultura Deorum, in quodam convivio, Rege præsente, Danis affirmantibus Christum quidem esse Deum, sed alios majores eo fore Deos, quippè qui potiora mortalibus signa & prodigia per se ostenderent. Contra hæc Clericus quidam, nunc verò religiosam vitam ducens, Episcopus, nomine Poppo, unum verum Deum, Patrem cum Filio unigenito, Domino nostro Jesu Christo, & Spiritu S. simulacra verò dæmonia esse testatus est. Haraldus autem rex, qui velox traditur fuisse ad audiendum, tardus ad loquendum, interrogat, si hanc fidem per semetipsum declarare velit. Ille incunctanter velle respondit. Rex verò custodiri Clericum in crastinum jubet. Mane autem facto, ingentis ponderis ferrum igne succendi jubet, Clericumque ob fidem Catholicam candens ferrum portare jussit. Confessor Christi indubitanter ferrum rapit, tandiuque deportat, quò ipse Rex decernit. Manum incolumem cunctis ostendit, fidem Catholicam omnibus probabilem reddit. Ad hæc Rex conversus
B Christum Deum solum colendum decernit, idola respuenda subjectis Gentibus imperat; Dei Sacerdotibus & ministris honorem debitum deinde præstitit. Sed virtutibus meritò patris sui, Othonis Regis scilicet, adscribuntur, cujus industria in illis regionibus Ecclesiæ Sacerdotumque ordines in tantum fulsere, ut Adam Bremensis Ecclesiæ Canonicus, etiam de his agens, subjiciat, quæ sequuntur. Ferunt etiam eo ipso tempore eundem fortissimum Regem Othonem universos Slavorum populos suo imperio subjecisse; quosque pater ejus uno grandi prælio domuerat, ipse Otho tanto deinceps Dei adjutorio constrinxit, ut tributum & Christianitatem pro vita simul & patria libenter offerrent victori; baptizatusque est totus Gentilium populus; Ecclesiæ in Slavonia tunc primùm constructæ. *Saxo l.10. hist. Danor. Baron. tom.10. ad an.989.*

Idem Poppo, ex Aquilonari plaga ortus Sacerdos, religiosus planè vir, diu in Italia peregrinatus, & apud summos Romanæ Ecclesiæ Pontifices in pretio habitus, incidit alibi in perfidiorem Gentem, licet eodem ignis experimento suam fidem veram esse testaretur: Nam tunicam indutus ceratam, in medio increduli populi jussit incendi; ipse verò oculis, ac ma-
C nibus in cœlum porrectis, liquentes flammas adeò invicta mente superavit, ut veste prorsus ambusta, illæsus ipse extiterit; ac cum illa in favillam esset redacta, hilari vultu nec fumum incendii testatus est. *Crantzius lib.3. Metrop. cap.34.*

FIDES CATHOLICA MIRACULIS APPROBATA CONTRA MAGOS ET PHILOSOPHOS.

S. Copres, unus ex Patribus, cùm adversùs Magum, qui suam impietatem passim omnibus inculcabat, disputaret, nec ejus argutiis semper posset satisfacere, tandem jussit, ut in media platea ignem instrueret populus, per quem ambo ipsi transire vellent; & uter illæsus id fecisset, ejus fidem ut veram amplectendam esse. Placet consilium universo populo, ignis citra moram instruitur: Copres arreptum Magum per flammam secum transire jubet: Magus sequi recusat. Tum unicuique seorsim ingrediendum esse ait, & ipse Copres consilii hujus auctor ut præcederet, jubet. Cum autem in nomine Christi signatus esset ingressus, flamma in hanc & illam partem divisa, eum nulla affecit molestia, per semihoram in ea moratus. Turbæ autem viso miraculo exclamarunt, & coge-
D bant illum pyram pervadere: Is autem nolebat timore affectus. Cùm verò eum accepissent populi, in medium protruserunt: & totus flamma ambustus, ejectus est è civitate, clamantibus populis, Magum viventem exurite. Coprem autem turbæ accipientes, & laudibus prosequentes, deduxerunt in Ecclesiam. *Pallad. in hist. Lausiaca cap.54.*

Aliud refert Theodorus Lector: Castrum, inquit, quoddam est inter Persas & Indos, nomine Tundadeoro. Cùm Rex Cabades multas in illo pecunias ac lapides pretiosos asservari audisset, volebat ejus rei veritatem cognoscere. Verum dæmones locum illum inhabitantes, Cabadem ab eo, quod quærebat, impediebant. Cunctam itaque magiam suam Magi illius impenderunt; sed frustra. Adhibita est & Judæorum magia: neque sic tamen eo compos evasit. Cogitavit, per Christianos amoliri dæmones illos. Episcopus itaque Christianorum in Persia peracta super ea re synaxi, & acceptis divinis mysteriis, & in Christianos qui aderant dispensatis, signo crucis dæmones profligavit, & castrum *Cabadi* sine ulla molestia tradidit. Quamobrem vir ille stupefactus, Episcopum illum primæ sedis prærogativa cohonestavit, cùm ad id usque temporis Judæi & Manichæi priores haberent. Deinde & cunctis E
Christianismum amplecti volentibus, liberum & securum fecit. *Baron.tom.6. Annal. an.513.*

MAGI AB ANTONIO VICTI.

Quantæ virtutis sit fidei Christianæ professio adversùs Philosophos etiam magicis artibus utentes, exemplo B. Antonii Magni demonstrat Cassianus: Duo, inquit, Philosophi despicientes B. Antonium, veluti imperitum ac sine litteris virum; volentesque eum (si nihil ampliùs lædere potuissent) saltem de cella sua magicis præstigiis & circumventione dæmonum proturbare, spiritus ei nequissimos immiserunt, ad impugnationem hanc morsu livoris adducti, eò quòd maximæ hominum turbæ ad eum veluti famulum Dei quotidie convenirent: Cumque illo, nunc quidem imprimente pectori suo frontique signaculum crucis, nunc verò orationi suppliciter incubante, ne approximare quidem dirissimi dæmones eidem prorsùs auderent, atque ad illos qui eos direxerant, absque ullo reverterentur effectu, & alios illi in nequitia vehementiores rursus immitterent, itidemque ipsis in cassum suas expendentibus vires, atque inaniter redeuntibus, potentiores nihilominùs adversùs militem Christi victorem iterum destinati F
nihil pœnitùs prævalerent: eò quidem profecerunt tales tantæque eorum insidiæ tota magica arte quæsitæ, ut per hæc evidentissimè comprobarent, magnam professioni Christianorum inesse virtutem, quibus illæ tam sævæ & tam potentes umbræ, quas putabant solem ipsum obducere potuisse, hunc non solùm non lædere, sed ne ad punctum valuerunt de monasterio deturbare. *Ioan. Cassian. lib.8. Collat. cap.18. de Princip.*

☞ *Huc refer ex cap.13. & 14. Actorum Exempla Elymæ Magi, & claudi Lystris à Paulo sanati. Ex Tit. Fidei efficacia.*

FIDES CHRISTIANA CONTRA HÆRETICOS MIRACULIS CONFIRMATA.

VESTES AB IGNE ILLÆSÆ.

Anno Domini 471. quo Acacius Orphanotrophus, seu pupillorum curator, Episcopus Constantinopolitanus creatus est, evenit, ut duo philosophi, quorum alter Arrii rabie infectus, dicendi ac disputandi arte instructissimus, alter virtute, religione & recta fide ornatissimus erat, de doctrina G
contenderent. Porrò Orthodoxo & rectè sentienti visum est, verborum contentione relicta, ad rem ipsam descendere, ac veritatem explorare, videlicet, ut rogo ingenti accenso, sese in ignem conjicerent. Quod ubi Arrianus detrectavit, Orthodoxus igni se contulit, atque inde cum impio sermonem conferens, disputavit, salvusque etiam vestibus intactis permansit. *Niceph. Calist. lib.15.c.23.*

Narravit nobis quidam Patrum de S. Ephrem Antiocheno Patriarcha, quòd valdè zelans fuit & fervens circa fidem: Cum enim audisset de Stylite illo, qui erat in partibus Hierapolis, quòd Severianæ esset hæreseos, abiit ad illum, ut impietatem amoveret ab eo: Cœpit ergo S. Ephrem corripere Stylitem, & orare, ut accederet ad sanctum Apostolicum thronum, & communicaret sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ. Respondens verò Stylites, ait: Ego Synodo prorsus non communico, Chalcedonensi videlicet. Dicit ad eum S. Ephrem: Et quomodo vis, ut curem te, & satisfaciam pro gratia Domini nostri Jesu Christi? Sancta Ecclesia libera est ab omni sorde pravitatis hæreticæ. Dicit ad eum Stylites: Accendamus ignem, domine Patriarcha, & ingrediamur simul, & quem flamma non læserit, ille H
Orthodoxus erit, illum sequi debemus. Hoc autem dixit, ut terreret Patriarcham. Respondit S. Ephrem Stylitæ: Oportebat quidem te fili mi, tanquam patri obtemperare, nihilque à nobis ampliùs quærere. Quoniam verò rem postulasti excedentem quidem vires imbecillitatis meæ, confido tamen in miserationibus Filii Dei, quia tuæ salutis causa & hoc faciam. Tunc ait S. Ephrem astantibus omnibus: Benedictus Dominus: Afferte huc ligna. Cùm verò allata fuissent ligna, succendit illa Patriarcha ante columnam, dicitque Stylitæ: Descende nunc, & juxta decretum tuum ingrediamur ambo. Stupefactus ille ad Patriarchæ constantiam, descendere noluit. Tunc dixit ad eum Patriarcha: Nonnè tu hoc fieri petiisti? & quomodo id nunc facere non vis? Tunc exuens se, qua indutus erat, stola Patriarchali, cùm accessit prope igem, oravit, dicens: Domine Jesu Christe, Deus noster, qui propter nos dignatus es de sancta Domina nostra Dei genitrice semperque Virgine Maria incarnari & nasci, ostende nobis veritatem. Et completa oratione, jactavit stolam suam in mediis ignibus. Cùm autem ignis quasi per tres horas duraſſet, lignaque jam consumpta essent,

A essent, tuleruntinde stolam integram, ita ut nulla ignis indicia in ea deprehendi possent. Tunc Stylites videns, quod factum fuerat, certior de veritate factus, anathematizavit Severum & ejus hæresim; accedensque ad sanctam Catholicam Ecclesiam, de manibus sancti Episcopi communicavit, & glorificavit Deum. *Sophronius in Prato Spirit. cap.* 36.

LIBER CATHOLICUS AB IGNE SERVATUS.

Cum Albigensium tempore in quodam castro apud fanum Jovis frequenter inter Catholicos & hæreticos disputationum conflictus fierent, factum est ex edicto, ut die quadam solemnis fieret disputatio sub judicibus deputatis. Et cùm altercatione verborum diu protracta, hæretici subtili & diabolica calliditate, etsi rationibus & auctoritatibus sufficienter confutati, ut murenula de manibus stringentium elaberentur, decretum est, ut ab utraque parte scripto præsentaretur ipsa fidei assertio, quam docebant. Scriptis autem diversis à Catholicis in libellos redactis, diligenter & mutua collatione discussis, libellus, quem scripserat B. Dominicus, qui etiam certamini aderat, communi suffragio præ cæteris offerendus decernitur. Coram igitur multitudine libelli utriusque partis, scilicet B. Dominici & hæreticorum, in medium proferuntur: & judicibus inter se discrepantibus, hæc tandem fuit communis omnium sententia, ut utrumque libellum in flammas ignis jacerent, & quem contingeret ab igne non comburi, veram fidem proculdubio ille contineret. Fidelis sermo & omni acceptione dignus. Accensus est in publico ingens ignis. Libelli projiciuntur in medium. Sed libellus partis hæreticæ statim comburitur; libellus verò servi Dei, non solùm ab igne non læditur, verùm ab igne foras prosiliit in longinquum: secundòque injectus, ac tertiò, æquè prodiit incombustus. Unde canit Ecclesia: Ter in ignem libellus traditus, ter exivit illæsus pœnitus. Et sic error hæreticorum vincitur, fides extollitur. Et sic quod divina potentia in tribus pueris gestum cognovimus in fornace Babylonis, hoc renovatum videmus in libello incombusto B. Dominici ad confirmandam veritatem fidei. *S. Antonin. Archiep. Floren.* 3. *part. Chron. tit.* 19. *cap.* 1. §. 4.

☞ *Referri huc poterunt plura hujus generis ex locis de Eucharistia, & Miraculis.*

C • FIDEI VIS ET EFFICACIA EX SACRA SCRIPTURA.

☞ *Huc refer Exempla quæ initio præsentis Tituli allata fuere.*

JOSUE Israelitici populi ductor, per fidem à Deo impetravit, ut staret Sol in medio cœli, & non festinaret occumbere spatio unius diei, ita ut nec ante, nec postea tam longa dies fuerit, obediente Deo voci hominis, donec se de Amorrhæorum Regibus vendicaret. *Josue cap.* 10.

Fidei armis David adhuc juvenis instructus, adversùs Philisthæum processurus, dicebat, Dominus qui eripuit me de ore Leonis, & de manu Ursi, ipse me liberabit de manu Philisthæi hujus. Quin indutus armis Saul, postquam tentasset, num armatus posset incedere, eadem à se rejecit, acceptoque baculo, quem semper habebat in manibus, elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & fundam manu tulit, & processit adversùs Philisthæum, non in gladio, hasta, & clypeo, quibus armis indutus veniebat Goliath Philisthæus; sed in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus ille exprobraverat: ac mox prævaluit contra illum in funda & lapide, percussùnque interfecit, præcidit que caput ejus. 1. *Reg. cap.* 17.

D Magna fide Asa Rex Israel adversùs Zara Æthiopem ejusque exercitum decies centenorum millium armatorum, & curruum trecentorum, exigua manu processit, & aciem instruxit in valle Sephara. Et invocavit Dominum Deum, & ait: *Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adjuva nos Domine Deus noster: In te enim, & in nomine tuo habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noster es, non prævaleat contra te homo.* Itaque Domino cædente contriti sunt, & exercitu illius prælianteⁿ. 2. *Paral. c.* 14.

Non parvæ fidei argumentum in sociis Danielis Prophetæ resplenduit, qui ardenti clibano adjudicati, Regi Nabuchodonosor iniqua imperanti resistebant, dicentes: Deus noster quem colimus, potest nos eripere de camino ignis, & de manu tua liberare: quòd si noluerit, notum tibi sit, quòd Deos tuos non colimus. Itaque missis in fornacem ignis Angelus Domini associatus est, & fecit mediam fornacem quasi ventum roris flantem; & non tetigit eos ignis, neque contristavit, neque quidquam molestiæ intulit. *Daniel. c.* 3.

Quanta fide coruscasse dicemus Ninivitas, qui ad prædicationem Jonæ, induti exemplo sui Regis sacco, egerunt pœnitentiam, & iratum Deum, ac durissima minatum placaverunt! Quia vidit Deus opera eorum qui conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitia quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. *Jonæ cap.* 2.

Fides Eleazarum, unum de primoribus Scribarum, virum ætate gravem, quòd legem Dei nollet prævaricari, intolerabilia tormenta superate fecit, ita ut nè ad illa quidem evitanda voluerit simulare se porcinas carnes comedisse. Cogitare enim cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conversationis actus, & secundùm sanctæ, & à Deo conditæ legis constituta, respondit citò dicens, præmitti se velle in infernum. Nam etsi in præsenti, ait, tempore hominum supplicis eripiar, sed manum omnipotentis Dei, nec vivus, nec defunctus effugiam. 2. *Mach. c.* 6.

Erat Hierosolymis vir claudus utroque pede, qui quotidie ponebatur ad portam templi quæ dicitur Speciosa, ut ab introeuntibus eleemosynam peteret. Hunc intuens Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, speF rans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula; & apprehensa manu ejus dextra, allevavit eum, & exsiliens stetit, & ambulavit. Mirantique populo super rei magnitudine, dixit Petrus, post multa de Jesu filio Dei in medium allata: In fide nominis ejus hunc quem vos videtis, & nostis, confirmavit nomen ejus, & fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. *Act. c.* 3.

Desiderabat Sergius Paulus Proconsul, qui erat vir prudens, accersito Saulo & Barnaba, audire verbum Dei. Resistebat autem illis Elymas Magus, quærens avertere Proconsulem à fide: quem cum Paulus Apostolus percussisset cæcitate, ita ut circuiens quæreret, qui manum sibi daret, videns Proconsul factum, credidit, admirans super doctrina Pauli. *Act. c.* 13.

Erat Lystris quidam vir infirmus pedibus, claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus in eum, & videns, quia fidem haberet, ut salvus fieret, dixit magna voce: *Surge super pedes tuos rectus: & exsilivit, & ambulabat.* Turbæ autem cum vidissent G quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam Lycaonicè, dicentes: Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos. *Act. cap.* 14.

EXEMPLA FOEMINARUM.

SUSANNA uxor Joachim pulchra nimis, & timens Deum, & erudita à parentibus secundùm legem Moysis, à Senibus injustè accusata, & ad mortem condemnata tanquam adultera, fide in Deum armata exclamavit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui omnia nosti, priusquam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior, cum nihil horum fecerim. Exaudivit autem Dominus vocem ejus, & suscitavit spiritum pueri Daniel, qui detecta malitiosa compositione Seniorum adversùs *Susannam*, eam eripuit, illis supplicio merito addictis. *Dan. c.* 13.

JUDITH vidua in omnibus famosissima, quoniam timebat Deum valdè, nec erat qui de ea loqueretur verbum malum, cum audisset, quòd Ozias traderet Civitatem Bethuliam Holoferni, & Assyriis, si intrà dies quinque non advenisset subsidium, vocatis presbyteris, eos super temeritate redarguit, & clypeo fidei assumpto, ingressa Oratorium, ad preces confugit, H magnaque fiducia in Deum, quem credebat futurum populo suo ad se cum humilitate & lacrymis revertenti propitium, ad castra Assyriorum se contulit, Holofernem trucidavit; & memorandam de illis victoriam per manum fœminæ Deus elargitus fuit. *Judith c.* 9.

Fide religiosissima illa 7. Machabæorum mater unà cum filiis divinæ legis tenacissima, ignes, sartagines, mutilationes, & intolerandos cruciatus perpessa, omnibus superior evasit. Quamvis enim necdum Christum in carne viderant, & ita illius exemplum ad imitandum deesset; tamen neminem eorum censet S. Greg. Nazianz. qui ante Christi adventum martyrio consummati sunt, extitisse, qui id sine fide in Christum potuerint consequi. 2. *Machab. c.* 6.

EXEMPLA HISTORICA.

☞ *De S. Aniano, unde supra, Fides miraculis firmata contra Judæos.*

MONS LOCO REMOTUS.

Narrat M. Paulus Venetus de regionibus Orientalibus, esse montem quendam in Regione illa, nempè juxtà civitates Baldachi

A dachi & Taurisii, haud longè à civitate Taurisii, qui olim virtute divina à loco suo hac occasione dimotus est. Accidit semel, ut Saraceni Euangelium Christi blasphemare volentes, & veluti vanam doctrinam Christianis improperantes, dicerent: Est scriptum in Euangelio vestro: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis monti huic: Transi hinc, transibit, & nihil impossibile erit vobis. Nunc igitur si fides vestra caret errore, admonete montem hunc, & probate Euangelii virtutem. Et quoniam Christiani sub perfidorum illorum dominio erant, cogebantur vel montem illum transferre, vel Mahumeticam subire legem: & si neutrum facerent, gladio ferirentur. Tunc vir quidam in Christi servens amore & fide, confortavit pusillanimes, & fusa oratione ad Dominum, cum tota fiducia dixit monti: Abi hinc; quod videntes multitudine illicò factum est. Quo miraculo multi Saracenorum conversi Christum confiteri cœperunt. *Lib.* 1. *cap.* 18.

LIBERATUR A LEPRA, ET PERFIDIA.

CHARRARICI cujusdam Regis Galliciæ filius graviter ægrotabat, qui tale tædium incurrerat, ut solo spiritu palpitaret. Pater autem ejus fœtidæ se illi Arianæ sectæ unà cum incoB lis loci illius subdiderat. Sed & regio illa plus solito, quàm aliæ provinciæ, lepra sordebat. Cumque Rex videret urgeri filium in extremis, dicit suis: Martinus ille, quem in Galliis dicunt multis virtutibus effulgere, cujus, quæso, religionis fuerit, enarrate. Cui ajunt: Catholicæ fidei populum pastorali cura in corpore positus gubernavit, asserens, Filium cum Patre & Spiritu sancto æquali substantia vel omnipotentia venerari debere. Sed & nunc cœli sede locatus, assiduis beneficiis non cessat plebi propriæ providere. Qui ait: Si hæc vera sunt, quæ profertis, discurrant usque ad ejus templum fideles amici mei, multa munera deportantes; & si obtineant mei filii medicinam, inquisita fide Catholica, quam ille credidit, credam. Pensato ergo auro argentoque ad filii pondus, transmisit ad venerabilem locum sepulchri. Qui profecti, oblatis muneribus, exorant ad beati tumulum pro ægroto. Sed insidente adhuc in patris ejus pectore secta, non continuò integram recipere meruit medicinam. Reversi autem nuncii narraverunt Regi, se multas virtutes ad beati tumulum vidisse, dicentes: Cur non sanatus fuerit filius tuus, ignoramus. At ille intelligens, non ante sanari posse filium, nisi æqualem cum C Patre crederet Christum, in honorem beati Martini fabricavit Ecclesiam: miroque opere expedita, proclamat: Si suscipere mereor viri justi reliquias, quodcunque Sacerdotes prædicaverint, credam. Et sic iterùm suos dirigit majore cum munere, qui venientes ad beatum locum, reliquias postulabant, &c. Quæ pignora, subdit Gregorius, cum summa veneratione suscipientes, fidem miraculis firmant: Nam filius Regis, dimissa omni ægritudine, sanus properat ad occursum: Rex verò unitatem Patris & Filii & Spiritus sancti confessus, cum omni domo sua chrismatus est. Squalor lepræ à populo pellitur, & omnes infirmi sanantur; nec unquam ibi usque nunc superaliquem lepræ morbus apparuit: talemque gratiam ibi in adventu pignorum beati patroni Dominus tribuit, ut virtutes, quæ ibidem illa die factæ sunt, enarrare perlongum sit: nam tantum in Christi amore populus ille promptus est, ut omnes martyrium libentissimè susciperent, si tempus persecutionis adesset. *Gregor. Turon. lib.* 2. *mirac. S. Martini cap.* 11.

HOMINES IN PORCOS MUTATI.

Cum Gregorius ille, qui edendis miraculis clarus fuit, multa à Teridate propter Christum passus, & post multas variasD que malorum species ad quatuordecim annos foveæ cœnosæ & caliginosæ inclusus esset: Teridates ipse Armeniorum princeps, cum domo sua tota, & cum optimatibus, divinæ iræ vindictam est expertus: Ad vitam enim simul & formam porcorum redacti seipsos devorabant. Sed enim ex fovea illa extractus divus Gregorius, uno signo omnibus Christum colere persuasit: & suilla forma atque vita liberatos institutum nostrum complecti coegit, delubra eis construxit, sacra arcani ac mystici sacrificii celebravit, & novis miraculis dæmones ex regione exturbavit. *Niceph. Callist. lib.* 8. *hist. Eccl. cap.* 35.

ILLUSIONES DÆMONUM DISPELLUNTUR.

Circa tempora Lotharii Imp. erant passim in Frisia multa larvarum infernalium spectra, quæ in parvo quodam supereminentis collis supercilio subterraneum habebant specum, absque humana ope artificio præstigioso extructum, in quo residebant, quas antiqui vocabant Albas Nymphas, sive vulgari gentis sermone, Vvitte Vvitren. Harum speciem adumbratam, non veram fuisse constat: quæ solebant nocturnos viatores, gregumque & armentorum intentos excubiis, & puerperas cum E infantibus sæpissimè in abdita sua & subterranea antra clanculùm abducere, in quibus subinde subterranei murmuris sonus, atque etiam vagitus infantium auditi sunt, & præterea etiam ingens fletus & gemitus hominum, & quandoque mulatum concentus & voces dubia arte colligebantur. Qua de causa magna fiebat custodia prægnantium mulierum, & parvulorum infantium, ne ab istis Nymphis infernalibus clam abriperentur. Quæ omnes dæmonum illusiones, post agnitum sincerum Dei Euangelium (erant enim tum Frisii Sabellii & Arii erroribus dementati) evanuerunt, & in nihilum redactæ sunt. Scripsit enim S. Odulphus contra ejusmodi illusiones dæmonum Chartam de S. Trinitate, quam per Ecclesias & Parochias Frisiæ sacerdotibus misit, ut in populo frequenter legeretur. *Cornel. Kampens. lib.* 3. *de orig. & situ Frisiæ, cap.* 31.

Cum vir Dei Norbertus, Ordinis Præmonstratensis fundator, noctem quandam totam insomnem orando transegisset, stans ante altare oratorii, quod in primordio conversionis suæ in Præmonstratensi loco susceperat, adstitit retrò eum Sathan instar horribilis ursi, dentibus & ungulis terribilem præ se speciem ferens: cumque verteret se homo Dei, & vellet procedere, ut membra debilia modico somno recrearet, ex improviso videns adstantem belluam, expavit. Sed illicò ad se reversus, & ostium oratorii clausum considerans, nec alicujus intrantis sonitum se priùs audisse recordans, persecutoris sui cognovit esse insidias; & parùm perorando viribus resumptis, ait: Quid expectas cruenta bestia? Ungulæ tuæ inanes sunt, & horribiles dentes tui, ventus; & hirsuta pellis tua, fumus & vapor inaniter transiens, & velut umbra, quæ sole recedente disparet: Tu signaculum similitudinis Dei, lux cùm esses, in tenebras superbiendo corruisti. Recede nunc præcipio tibi: quia nulla conventio Christi ad Belial, nulla societas lucis ad tenebras, nulla pars fidelis cum infideli. Recede ocyùs, scis nulli nocere te posse, nisi permittat Deus: nec nisi illis, qui peccando tuæ subditi sint potestati. Et his dictis, mendax ille, verba veritatis ferre non sustinens, disparuit. *In vita ejus apud Surium tom.* 3.

MIRA JUDÆI COMITIS AD FIDEM VOCATIO.

De Josepho Comite, quomodo à morbo mentis & corpoG ris propter Christi fidem liberatus sit, sic scribit Epiphanius: Tertium ad fidem hoc instructionis opus Josepho contigit, quod non valuit Incarnationis vis, ubi erat Christi nomen, & signaculum crucis: non tamen persuasus est, ut Christianus fieret. Postea verò apparet illi in somnis Christus, dicens: Ego sum Jesus, quem parentes tui crucifixerunt: verùm crede in me. Ille verò necdum persuasus, incidit in morbum magnum & desperatum. At Dominus rursum apparet ipsi, jubens, ut credat in ipsum, & sanitatem assecuturum esse promittens. Ille verò promissione facta, rursùs resiliit, & in duritia permansit. Recidit autem secundò in morbum, eumque similiter desperatum: relictusque velut moriturus à cognatis suis Judæis, quod mysticè ab ipsis semper fieri solet, id ab eis audivit; nam vir quidam senior legis peritus ad eum accedens, in aurem insusurravit, dicens: Crede in Jesum crucifixum sub Pontio Pilato præside, qui filius est Dei, & ex Maria postea natus est, & Christus Dei est, & ex mortuis resurrexit: nam ipse veniet judicare vivos & mortuos. Hæc ipse Josephus palam mihi recitavit, id quod verè dicere possum. Josephus autem adhuc H ægrotabat: & cùm audivisset à seniore (velut dixi) cùm aliis Jesus Christus judicaturus est, adhuc obdurabatur. At Dominus rursum ex benignitate sua per somnii visum: Ecce, inquit, sano te; sed tu ubi surrexeris, crede. Ubi autem convaluisset rursus à morbo, non credidit. Itaque sano ipsi rursus Dominus apparet per somnium, conquerens de ipso, quam ob causam non crederet; promittit ipsi Dominus, dicens: In fidei certitudinem, si quod volueris signum divinum in nomine meo operari invoca me, & ego faciam. Erat autem quidam insanus in civitate, qui nudus per urbem circuibat, in Tiberiade videlicet: & cum sæpè veste indueretur, eam dilaniabat, veluti tales facere solent. Josephus igitur volens experiri visionem, dubitans autem adhuc verecundia detinebatur. Assumit autem hunc introò, & præclusis foribus, acceptaque aqua in manum, eaque Crucis signaculo signata, insanum hominem respersit, & dixit: In nomine Jesu Nazareni Crucifixi, egredere dæmon ab ipso, & sanus fiat. Homo verò magno clamore edito, in humum prolapsus, & multa spuma ab ore demissa lancinatus, ad multum tempus immotus permansit: demum sanatus est. *Baron. tom.* 3. *Annal. an.* 327. *ex Epiphan.*

IN

A IN EXTINGUENDO INCENDIO FIDES MANIFESTATA.

Sicut in fugiendo serpente lethifero virtus enituit tanti Pontificis Leonis Papæ IV. ita in extinguendo incendio patefacta est fides ipsius, potentia crucis pollens. Rem gestam hoc pariter an. 874. ita recitat Anastasius, in ipsius sui Pontificii exordio: Saxonum vicum validus ignis invasit, qui flammarum violentia cuncta comburere cœpit validiùs; ubi populorum multa congregata sunt agmina, quæ hujus incendii flammas volebant extinguere; sed ventorum flatibus altiùs extendebatur ignis in aere, cuncta comburens atque comminuens, ita ut propiùs ad B. Petri Apostolorum Principis posita perveniret, Saxonum & Longobardorum domos porticum concremans. Quo audito, ipse beatissimus Pontifex anxius illuc celeri cursu profectus est, & ut ob hujus tanti ignis impetum se præpararet, Dominum deprecari cœpit, ut hujus incendii flammas extingueret, & ubi crucis prope frequentavit signacula digitis, ampliùs ignis extendere flammas non potuit: & beati virtutem ferre non valens Pontificis, extinctas flammas redegit in cinerem. *Baron. tom.10. Annal. ad an.647. ex Anastasio.*

B PER FIDEM PROLES RERUMQUE ABUNDANTIA OBTENTA.

ZACOMUS tribunus carebat liberis ætate jam senescens. Et quum monachum quendam magna gloria virum adiisset, quum alia pleraque ei per colloquium exposuit, tum ærumnam quoque eam & casum deploravit. Supra modum enim apud Saracenos magni penditur liberorum procreatio: nec apud eos modò, sed etiam, ut arbitror, apud barbaros omnes. Ille bono animo eum esse, precatione facta, & reverti domum jussit, fore pollicitus, ut brevi pater fieret, si modò in Christum sibi credendum esse statueret. Postquam autem dictum id eventus comprobavit, & filius progenitus procreationem illam veram esse confirmavit: & ipse Zacomus religione nostra est initiatus, & tribum eam omnem, cui præfuit, ad eandem gratiam adduxit. Ab eo tempore tribum istam admodùm floruisse, magnaque & numero & amplitudine incrementa cepisse, atque Saracenis & Persis formidabilem fuisse dicunt. *Niceph. Callist. lib.11. hist. cap.47. Sozom. lib.6.c.38.*

AGRI STERILES FOECUNDI EFFICIUNTUR.

C Sterilis erat ager (ait presbyter Coprès nomine, vir sanctus, propè octogenarius) qui est prope nos: & rustici qui ipsum possidebant, seminantes, vix semen duplicatum metebant; vermis enim nascens in spica totam messem corrumpebat. Agricolæ autem catechismo à nobis instituti, & effecti Christiani, rogarunt nos, ut oraremus pro messe. Dixi autem eis: Si habetis fidem in Deum, vel arena deserti fructum vobis afferet. Ii autem nihil cunctati, cùm hac arena, quæ à nobis calcatur, sinus implessent, attulerunt rogantes, ut benediceremus. Postquam autem sum precatus, ut illis fieret secundùm ipsorum fidem, ipsi eam cum frumento seminarunt in aruis suis: & repentè eorum ager ita multiplicavit fructum, ut omnem superaret Ægyptum. Hoc ergo facere soliti, nobis quotannis exhibent molestiam. *Pallad. in Lausiac. sect.44. c.54.*

* FIDEI CHRISTIANÆ.

Dilatatio, propagatio, apud varios, & à variis, neque in uno modo facta.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

CHRISTUS DOMINUS ex hoc mundo ad Patrem transiturus, Apostolos Euangelii sui præcones in Ecclesia, quam plantaverat, reliquit, quibus ceu extrema mandata dedit: *Euntes in mundum universum, prædicate Euangelium omni Creaturæ.* Illi autem abeuntes prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. *Marci ult. cap.*

Certè post primam Petri prædicationem, die Pentecostes factam Jerosolymis, cum pluribus verbis testificatus esset de Jesu, & Judæos astantes exhortatus; qui receperunt sermonem ejus baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. Erantque perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. *Act.c.2.*

Idem Petrus ingressus in templum ad horam orationis nonam, claudum utroque pede sanavit, longoque sermone, hujus occasione miraculi, Christum adstantibus annuntiavit: *Multi autem eorum qui audierunt verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia;* & notant Veterum plerique, inter quos Oecumenius & Chrysostomus, hunc numerum credentium à Christo indicatum, dum jussit Apostolis, quinque panes distribuere in quinque millia hominum, qui omnes satiati fuerunt, ita ut fragmentorum duodecim cophini superessent. *Ibid. cap.3. & 4.*

Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo Epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Atiter facienti & appropinquanti Damasco, subitò circumfulsit eum lux de cœlo: & cadens in terram, audivit vocem de cœlo dicentem sibi, *Saule Saule, quid me persequeris?* qui dixit: *Quis es Domine?* Et ille, *Ego sum Iesus, quem tu persequeris.* Itaque tremens ac stupens, ingressus Civitatem, per impositionem manuum Ananiæ visum recepit, & surgens baptizatus est, ac continuò ingressus Synagogas, prædicabat Jesum, quia hic est filius Dei. Ecclesia autem per totam Judeam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur. *Act. c.9.*

Sed & vir erat in Cæsarea nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua. Hic vidit Angelum introeuntem ad se: qui jubebat, ut accerseret Simonem Petrum. Qui cum venisset, euangelizavit illi Jesum, & omnibus qui cum eo erant. *Adhuc eo loquente, cecidit Spiritus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerunt cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Ibid.cap.10.*

Porrò hæc ipsa fidei Christianæ propagatio, quæ in nationes facienda erat, Apostolorum Principi illustri symbolo fuit indicata. Ascenderat enim in superiora domus, ut oraret, circa horam sextam. Et cum esuiriret, voluit gustare. Parentibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: & vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli; unde mox ad illos qui cum Cornelio advenerant, eum præstolantes: Ostendit, inquit, mihi Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem; & paulò post: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus. Nempè non solùm vocat ad Ecclesiam suam Judæos, seu illos qui legem ex Gentibus, ut Proselyti, profitebantur; sed etiam quoscunque ex iisdem Gentibus, absque onere legis. *Ibid.cap.10.*

Cæterùm per hæc tempora viri quidam Cyprii & Cyrenei introierunt Antiochiam, & locuti sunt ad Græcos, G annunciantes Dominum Jesum: *Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. Ibid. cap.11.*

Etiam Proconsul Paulus videns, quomodo ad verbum Apostoli Pauli Elymas Magus, qui ei resistebat, excæcatus fuisset, credidit ociùs, admirans super doctrina Pauli. *Ibid. cap.13.*

Dicentibus ad Judæos Paulo & Barnaba, Vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum, *ecce convertimur ad gentes: audientes Gentes gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Ubi Lucas non asserit, causam præordinationis aut prædestinationis esse fidem, aut eum qui hanc habet, esse prædestinatum: Vide præordinari omnes credentes, aut nullos alios credidisse, quam qui erant præordinati ad vitam æternam. Hæc enim à Calvinistis ita dicta affirmantur, sed falsò: neque enim hìc sermo est de prædestinatione, sed de præordinatione, sive Dei voluntate à Prophetis prædicta, qua ordinavit gratiam Euangelii etiam Gentibus concedendam, è quibus nunc nonnulli crediderunt, H adeòque in via vitæ æternæ dispositi sunt. Alii verò hunc locum exponunt de iis, qui seipsis, hoc est, instinctu & voluntate sua ordinati sunt ad vitam æternam, neque se illius indignos ut obstinati Judæi reputarunt. Nimirùm omnibus prædicatum est Euangelium, pars admisit, & velut in ordine ad vitam tendentium collocavit & coordinavit. *Ibidem cap.13.*

Factum quoque est Iconii, ut Paulus & Barnabas simul introirent in Synagogam Judæorum, & loquerentur ita ut crederet Judæorum & Græcorum multitudo copiosa. *Ibid. cap.14.* Iisdem transeuntibus per diversas civitates, Ecclesiæ confirmabantur in fide, & abundabant numero quotidie; tradebant enim eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Jerosolymis: quod advertant hæretici nostri temporis, qui nihil credendum servandumque à Christianis contendunt, quàm quod in Scriptura divina clarè est expressum: neque ullas traditiones recipiunt, cum tamen hæc dogmata, quæ Jerosolymis erant decreta, videlicet, *Cap.15.* in pri-

A primo Concilio Apostolorum, juberentur observari; neque tamen in sacra Scriptura, quæ verisimiliter necdum passim habebatur, clarè exprimebantur. *Ibid.c.16.*

Die autem Sabbatorum egressi foras Philippis in locum orationi sive prædicationi opportunum, sedentes loquebantur mulieribus quæ convenerant; & quædam mulier nomine Lydia, purpuraria, hoc est ex singulari privilegio purpuram, aut tincta purpureo colore divendens, civitatis Thyatizenorum, colens Deum, audivit: *cujus aperuit Deus cor, intendere his quæ à Paulo dicebantur: & ab eo baptizata est, & domus ejus tota. Act.c.16.*

Sed & Paulus Athenas perductus, cujus urbis incolæ, & omnes advenæ hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, vel audire aliquid novi, inani studio discendi potiùs, quàm ut crederent, instigati, stans in medio Areopagi, longoque & nervoso sermone Christum euangelizans, eosque Idololatriæ arguens, & superstitionis, quòd & ignoto Deo aram excitassent; quidam viri adhærentes ei, crediderunt: In quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis. Hanc autem Damarim uxorem Dionysii volunt nonnulli, & favere videtur Chrysostomus & Ambrosius: alii probabiliùs negant cum *B. August. in serm. de seminatore verbi.* B *Ibid.c.17.*

EXEMPLA HISTORICA.

VEXATIO OCCASIONEM PRÆBET CAPESSENDI FIDEM.

Quomodo contigerit, Burgundiones ad religionem Christianam converti anno Dom.413. hoc loco commemorabo. Est gens quædam barbara, locum trans Rhenum fluvium incolens, quos vulgò *Burgundiones* vocant. Isti vitam à Republica gerenda remotam perpetuò degunt; sunt autem fabri lignarii omnes, & ex ea arte mercedem, qua sustentant vitam, acquirunt. Hunnorum gens crebrò in eorum fines invasionem faciens, agros depopulata est, & complures illorum non rarò trucidavit. Itaque illi non ad hominem ullum auxilii petendi causa confugiunt; sed Dei alicujus potestati se totos permittere in animos inducunt. Ac cùm mente complecterentur, Romanorum Deum illis, qui eum metuunt & reverentur, firmum afferre præsidium, omnes communi consensu ad credendum in Christum se contulerunt: atque ad civitatem quandam Galliæ profecti, postulant ab Episcopo, ut Christianorum baptismo donentur. Is cùm illis septem dies præ- C scripsisset ad jejunandum, eosque in fide erudiisset, octavo die lavacro baptismatis tinxit, & cum pace dimisit. Illi verò animo fidenti contra tyrannos gradiuntur: nec spes eos fefellit. Quippè Uptaro Hunnorum rege nocte, cum se cibo nimio ingurgitasset, medio disrupto, *Burgundiones* Hunnos duce cæsos adorti, pauci cùm permultis (ita enim millia contra decem impetum faciunt) commisso prælio victoriam consequuntur. Ex illo tempore gens ea Christianam religionem ardenti studio excoluit. *Socr.l.7. hist.Eccl.c.30. Baron.tom.5.*

AUXUMITÆ UT CHRISTIANUM CULTUM SUSCEPERINT.

JUSTINIANO adhuc Imperium gubernante, Auxuctus Mitatum Indorum rex, Græcorum sacrorum consectator, prælium cum Homeritis Indis Judaicam religionem colentibus commisit, belli ejus causam Romanis præbentibus. Per Homeritas enim qui Ægypto appropinquant, merces ultrò citròque datæ & acceptæ, ad Auxumitas inferebantur. Porrò cum ab Homeritarum Principe Damno Romani insidiis expetiti essent, ut profectio, ad Auxumitas impediretur, accidit. Quare Auxumita ad animi acerbitatem commotus, bellum D contra Homeritas movit, vero Christianorum Deo nuncupato, illorum se sacra suscepturum esse, si victoriam ab Homeritis reportaret. Itaque conflictu facto, victor fortiter evadit, ipsumque illum Damnum vivum capit; & votum Deo David Auxumita persolvens, ad Justinianum legatos mittit, ut quæ solemnia Christianis essent, ipsis præstaret. Justinianus autem valdè ea re delectatus, delectum virum sanctum Episcopum eis dedit: qui plurimis bonis operibus gentem eam omnem subegit, & baptizavit. Atque ex hujusmodi sanè causa interiores etiam Indorum populi Christianismum sunt complexi. *Niceph.lib.17. Eccl.hist.c.32.*

BOGARIS BULGARORUM PRINCEPS, UT CHRISTO NOMEN DEDERIT.

BOGARIS anno Dom. 845. Bulgarorum Princeps, cum audiisset mulierem cum tenero adhuc puero Romanis imperare, audacia elatus, nuncios ad Reginam misit, per quos minabatur se fœdera soluturum, & Romanorum fines invasurum. At Regina nihil humile vel effæminatum cogitans: Et me me, inquit, invenies paratam ad resistendum in acie, Deique nutu E superiorem; si autem (quod absit) victor ipse fueris, hoc quoque pacto mea erit victoria: viceris enim non virum, sed mulierem. Quibus verbis confusus & deterritus, quievit, & pristina fœdera renovavit. Miserunt autem ultrò citròque legatos & Regina & Princeps. Regina legatos accepit à quodam Theodoro Cuphara cognomento, viro idoneo, & administrandæ Reip. utili, qui tunc in Bulgaria captivus detinebatur: Princeps verò à sorore sua, quæ in quadam excursione capta, in Regia commorabatur. Hæc enim jampridem captiva abducta, & Christianorum religione initiata, literasque edocta, quo tempore captiva erat, ac nuper liberata, non desistebat fratri Christianorum mysteria commendare, & in ejus cor fidei semina injicere; qui tamen ante à Cuphara divina mysteria fuerat edoctus. Inita autem permutatione, & reddita muliere fratri, restituto item Reginæ Cuphara, quamvis ante Princeps instructus esset, & divinis imbutus mysteriis; adhuc tamen retinebat infidelitatem, proprio cultui addictus. Verùm cùm ingens fames Bulgarorum regionem occupasset, omnique destituerentur auxilio, Princeps ipse Christianorum Deum, ut sibi opem ferret, invocavit; idque facere omnem sibi subjectam natio- F nem jussit; impetratoque remedio, & fame liberati, ad veram religionem se conferunt, & Princeps nova lavacri regeneratione donatur, de nomine Imperatoris Romanorum Michael appellatus ab Episcopo, qui ad eum missus fuerat, eique divinum lavacrum impertitus est. *Baron.tom.10. Annal. ad an. 845.*

BORIVORIUS REX BOHEMIÆ CHRISTIANISMUM SUSCIPIT.

BORIVORIUS Rex Bohemorum patre Hostmitio prognatus regimen paternum excepit, nec diu illud, ut impius & profanus, sed uti religioni Christianæ deditus, rexit. Hoc verò modo ille Christianismum subiit: Diverterat ad Regem Moraviæ Snatoplucum, partim officii, partim amicitiæ paternæ confirmandæ gratia, venitque eo forte die & tempore ad Regem salutandum, quo ille à sacrosancto Dominicæ cœnæ convivio in aulam reversus, mensæ accumbere suæ parabat. Reddita salute, Rex: Ignosce, inquit, Boheme hospes, quòd ad prandium hoc nostrum in præsentiarum non invitere: nec enim fas est nec jura Christiana sinunt, revertenti à mensa Dei eum con- G vivam habere, qui mensæ deorum mortuorum accumbere, deque illorum sacrificiis participare soleat: proinde si tibi nostra convivia arrident, fac ut simul tibi nostra etiam arrideat religio, ac tum demum noster eris, & valdè gratus conviva. Pupugerunt ista animum Borivorii, sed magis adhuc eidem cogitationem de mutanda superstitione injecerunt honores ab Arnulpho Cæsare ipsi Snatopluco habiti, posteaquam religione Christiana initiatus fuit: nam tanta inde Arnulphus benevolentia, tantoque favore Snatoplucum prosecutus est, ut in gratiam ejus venire in Moraviam ad diem non gravaretur, ad quem invitatus erat, ut filiolum suum è sacro fonte levaret. Ubi hac prætereà in illum usus est liberalitate, ut tributum illi attribueret, quod Princeps Bohemiæ Cæsari tunc pendebat. Cùm itaque non solùm honorificam *Borivorius*, sed etiam fructuosam videret esse religionem Christianam, ad illam vehementer aspirare cœpit: sed meliore mox spiritu afflatus fuit, quum divum Methodium, divi Cyrilli collegam, ambos Moraviæ & primos Antistites, de fide & religione Christiana differentem audivit; alios videlicet honores, & alia præmia cultoribus illam suis polliceri, neutiquam fluxa & caduca, sed H planè stabilia atque æterna, si quis illa per baptismum, qui fidem perficit, consumaverit. Adfuit Spiritus S. gratia, animumque *Borivorii* luce fidei Christianæ sic illustravit, ut ibidem statim, cum bene multis suis clientibus, aqua salutari à Methodio tingeretur; deinde uxor quoque ejus, cui Ludmillæ nomen, in Bohemia ab eodem tincta fuit, & magnus prætereà Bohemorum utriusque sexus numerus ad baptismum adfluebat. *Ioan. Dubrav. Episc. Olmucens. lib.24. hist. Bohem.*

CHENDOMIRUS SIVE CHARRARICUS REX SUEVORUM AD RECTAM FIDEM CONVERSUS.

Quanam occasione Theodomirus, sive Charraricus Rex ad fidem orthodoxam conversus sit, id scribit Gregorius, dum sic ait: Charrarici cujusdam Regis Galliciæ filius graviter ægrotabat: qui tale tædium incurreret, ut solo spiritu palpitaret. Pater autem ejus fœtidæ se illi Arrianæ sectæ unà cum incolis loci illius subsiderat. Sed & regio illa plus solito, quàm aliæ provinciæ, lepra sordebat. Cumque Rex videret urgeri filium in extremis, dicit suis: Martinus ille, quem in

A Gallus dicunt multis virtutibus effulgere, cujus, quæso, religionis fuerit, enarrate. Qui ajunt: Catholicæ fidei populum pastorali cura in corpore positus gubernavit, asserens, Filium cum Patre & Spiritu sancto æquali substantia vel omnipotentia venerari debere. Sed & nunc cœli sede locatus, assiduis beneficiis non cessat plebi propriæ providere. Qui ait: Si hæc vera sunt, quæ profertis, discurrant usque ad ejus templum fideles amici mei, multa munera deportantes: & si obtineant mei filii medicinam, inquisita fide Catholica, quam ille credidit, credam. Pensato ergo auro argentoque ad filii pondus, transmisit ad venerabilem locum sepulchri. Qui profecti, oblatis muneribus exorant ad beati tumulum pro ægroto. Sed insidente adhuc in patris ejus pectore secta, non continuò integram recipere meruit medicinam. Reversi autem nuncii narraverunt regi, se multas virtutes ad beati tumulum vidisse, dicentes: Cur non sanatus fuerit filius tuus, ignoramus. At ille intelligens non ante sanari posse filium, nisi æqualem cum Patre crederet Christum, in honorem B. Martini fabricavit Ecclesiam: mirque opere expedita, proclamat, Si suscipere mereor viri justi reliquias, quodcumque sacerdotes prædicaverint, credam. Et sic B iterum suos dirigit majore cum munere: qui venientes ad beatum locum, reliquias postulabant. Cumque eis offerrentur ex consuetudine, dixerunt: Non ita faciemus, sed nobis, quæsumus, licentia tribuatur ponendi, quæ exinde iterum assumamus. Tunc partem pallii serici pensatam super beatum sepulchrum posuerunt, dicentes: Si invenimus gratiam coram expetito patrono, quæ posuimus, plus in sequenti pensabunt, eruntque nobis in benedictionem posita, quæsita per fidem, &c. *Greg. Turon. lib. 1. mirac. S. Martin. cap. 11. & ex eo Baron. tom. 7.*

RUTHENI BOREALES AD FIDEM CHRISTIANAM PERDUCTI.

Basilius Macedo Orientis Imperator, Ruthenos inter Græcosque icto fœdere, religionis quoque Christianę negotium, misso ad eam gentem Archiepiscopo, non mediocriter promovit: nam cùm adhuc superstitione detinerentur & ipse Princeps & proceres illius, atque adeò omnis natio, suumque pristinum cultum examinarent, & Christianorum fidem; Archiepiscopum illum, qui ad eos nuper venerat, accersitum Princeps interrogavit, quænam essent ea, quæ illi annuntiarent, quæque ipsum C docere possent. Qui cùm sacrum divini Euangelii librum protulisset, & quædam miracula recenseret à Deo, quando humana forma assumpta apud homines erat, facta: Nisi aliquod, Rex & multitudo respondit, simile nos conspiciamus, & maximè quale asseris trium puerorum in fornace, nequaquam tibi credituri sumus. Ille verò nunquam mentienti fide habita verbo illius, qui dixit: *Quodcumque petieritis in nomine meo, accipietis*; &, *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora his faciet:* Etsi, inquit, haud licet tentare Dominum Deum, attamen si ex animo decrevistis ad eum accedere, petite quodcumque vultis, & hoc faciet omninò propter fidem Verbum Deus, quamvis nos minimi simus & indigni. Ipsi autem petierunt divini Euangelii volumen in ignem à se incensum projici: quod si illæsum servaretur, ad eum se accessuros Deum, qui ab ipso prædicaretur. Visum est id faciendum: & cùm sacerdos sublatis ad Deum oculis ac manibus dixisset: Ostende gloriosum sanctum nomen tuum Jesu Christe Deus noster, in oculis nationis hujus; in fornacem projectus est Euangelii liber, incensaque fornace ad horas aliquot, deinde penitus extincto, & consumpto igne, sacrum illud volumen in D ventum est permansisse inviolatum atque illæsum, nullo ab igne accepto detrimento. Quod conspicati Barbari, & miraculi magnitudine perculsi, sine ulla controversia ad Baptismum confugere. *Baron. tom. 10. Annal. ad an. 886. ex Zonar. tom. 3. Annal.*

RUSSI RELAPSI, ERRORES SUOS FIDE RECEPTA EJURARUNT.

Aliud etiam in eadem gente non minùs illustre miraculum contigit, cùm uno deinde post sæculo salutari igne collustrati errores suos fide recepta ejurarunt, adnitente maximè Bonifacio Buiclavini Regis Slavoniæ gentis filio, qui populo Russorum à Pontifice Romano S. Romualdi disciplina Archiepiscopus datus erat. Cùm ad Regem Russorum, inquit Petrus Damianus, vir venerabilis pervenisset, & constanti animo prædicationi vehementer insisteret, videns eum Rex squalidis vestimentis indutum, ac nudis pedibus incedentem, opinatus est, quia vir sanctus talia non religionis causa perferret, sed id idcircò potiùs, ut pecunias congregaret. Promisit igitur ei, ut si ab ista vanitate recederet, ipse paupertatem ejus largissima divitiarum libertate ditaret. Verùm Bonifacius mox ad hospitium sine E mora revertitur, pretiosissimis Pontificalibus ornamentis decenter induitur, & sic ad Regis palatium denuò præsentatur. Rex autem videns eum tam decoris vestibus adornatum, ait: Nunc scimus, quia te ad vanam doctrinam non paupertatis inopia, sed veritatis impulit ignorantia. Verumtamen si vis vera credi, quæ asseris, erigantur duæ ingentes lignorum catastæ, levissimo à se interstitio separatæ, & igne suppositio, cùm vaporatæ fuerint, ita ut utriusque struis unus esse ignis videatur, tu transi per medium: Quo si læsus ex aliqua parte fueris, ipsis te penitus consumendum ignibus trademus; sin autem (quod credi non potest) sanus evaseris, omnes nos Deo tuo absque difficultate credemus. Cumque hoc fœdus non solùm Bonifacio, sed & cunctis, qui aderant, gentibus placuisset, Bonifacius ita vestitus, ut Missarum solemnia celebraturus, priùs cum sanctificata aqua, & incenso thure undique perlustrans ignem, dein stridentes flammarum globos ingressus, ita exivit illæsus, ut ne minimus capitis ejus capillus videretur exustus. Tunc Rex, & cæteri, qui huic spectaculo interfuerant, caterva tim se ad pedes beati viri projiciunt, indulgentiam lacrymabiliter petunt, & baptizari se instantissima supplicatione depo- F scunt. *Petrus Damiani in vita S. Romualdi cap. 29. & 30. an. 1008.*

GENTILES AD FIDEM CONVERTUNTUR.

Anno Domini 705. erat in quadam Boructuariorum villa, Velsenberch nomine, vir quidam dives & potens, Ethelheere dictus, obsessus à dæmonio, ferro & catenis adstrictus, eò quòd omnes morsu arriperet, & vestes proprias laceraret. Erat autem idem Ethelheere incitator aliorum, & primus qui S. Svvitbertum baculo impetere non formidabat. Qui cùm quotidie dirè vexaretur, & à multis visitaretur, tandem quadam die, præsentibus nonnullis idolorum sacerdotibus, & aliis Paganis ipsi condolentibus, dæmon clamare cœpit: Nisi huc veniat servus Dei vivi Svvitbertus Christianorum Episcopus, hinc non egrediar. Cumque magis ac magis iterando clamaret, confusi abcesserunt idololatræ & amici dæmoniaci, perplexi & dubii, quidnam facerent. Demum communi omnium deliberatione ab ipsis S. Svvitbertus quæritur, & inventus, obnoxiè rogatur & invitatur ad visitandum dæmoniacum præfatum. Igitur S. Svvitbertus fraterno tactus dolore, dæmo- G niaco compatiens, cùm iret cum suis presbyteris & clericis, esseque in via ad visitandum eum, mox cœpit dæmoniacus spumare, dentibusque dirè stridere, & horribiliter vociferando clamare plus solito: de quo præsentes valdè gementes mirabantur: sed S. Svvitberto appropinquante domui, cessavit dæmoniacus jacens in lecto, ac si somno dulciter pressus esset. Quem sanctus cernens, præcepit suis, ut omnes orationibus vacarent: & ipse orationi incumbens, Deum devotissimè precabatur, ut ad laudem & gloriam sanctissimi nominis sui, & ad conversionem incredulorum, dæmoniacum expulso dæmone liberaret: surgensque cum suis ab oratione, signavit dæmoniacum signo salutiferæ crucis, dicens: In nomine Domini nostri Jesu Christi præcipio tibi immunde spiritus, ut exeas ab hac Dei creatura, ut agnoscat suum verum Creatorem & Salvatorem. Statim cum fœtore spiritus malignus exiens, clamare cœpit: Non diu in ista permanebis provincia, serve magni Dei; nam sicut me ab hac mea habitatione expulisti, ita expelli te faciam ex ista terra & provincia. Ethelheere verò à dæmonio liberatus, surgens palam inhærens pedibus S. Svvitberti, veniam petens de commissis in eum, baptizari in nomine Jesu Chri- H sti instantissimè poposcit, in cujus nomine liberatus fuit. Unde multi pagani cum duobus idolorum sacerdotibus, qui præsens fuerunt, pedibus sancti Episcopi provoluti, mysterium fidei Christianæ discere & scire expetierunt. *Marcell. in vita S. Svvitberti, cap. 20. & 21. Baron. tom. 8. ad an. 705.*

IBERI AD CHRISTI FIDEM PERDUCTI.

De Iberis Hispaniæ populis historiam superioribus subnectamus, quam à certo homine, Bacurio nomine, ejus Gentis Rege, fidelissimo viro, se accepisse testatur Ruffinus. Per idem, inquit, tempus etiam Iberorum gens, quę sub axe Pontico jacet, verbi Dei fœdera, & fidem futuri susceperat regni. Sed hujus tanti boni præstitit causam mulier quædam captiva, quæ apud eos reperta, cum fidelem ac sobriam satis duceret vitam, totisque diebus ac noctibus obsecrationes Deo pervigiles exhiberet, in admiratione esse ipsa rei novitas barbaris cœpit, & quid hoc sibi velit, curiosiùs perquirebant. Illa, ut res erat, simpliciter Christum se Deum hoc ritu colere fatebatur. Nihil ex hoc ampliùs barbari præter novitatem nominis mirabantur. Ve-

A Verùm, ut fieri solet, ipsa perseverantia curiositatem quandam mulierculis inserebat, si quid emolumenti ex tanta devotione caperetur. Moris apud eos esse dicitur, ut si parvulus ægrotet, circumferatur à matre per singulas domos, quò scilicet si quis experti aliquid remedii noverit, conferat laboranti. Cumque mulier quædam parvulum suum per omnes circumtulisset ex more, nec aliquid remedii cunctas domos lustrando cepisset; venit etiam ad captivam, ut, si quid sciret, ostenderetur. Illa se humani quidem remedii nihil scire testatur; Deum tamen suum Christum, quem colebat, dare ei desperatam ab hominibus posse salutem confirmat: cumque cilicio suo parvulum superposuisset, atque ipsa desuper orationem fudisset ad Dominum, sanum matri reddidit infantem. Sermo autem defertur ad plures, factique fama magnifici usque ad aures Reginæ perlabitur: quæ dolore quodam gravissimo corporis afflicta, in desperatione maxima erat. Rogat ad se captivam deduci. Illa ire abnuit, ne præsumere ampliùs, quàm sexus sineret, videretur. Ipsam se Regina deferri ad captivæ cellulam jubet; quam similiter supra ciliciũ suum positam, invocato Christi nomine, continuò post precem, B sanam & alacrem facit exurgere: Christumque esse Deum, Dei summi Filium, qui salutem hanc contulerit, docet; eumque quem sibi auctorem suæ sciret esse incolumitatis, & vitæ, commonet invocandum: ipsum namque esse, qui & Regibus regna distribuit, & mortalibus vitam. At illa cum lætitia domum regressa, marito percontanti causam tam subitæ sanitatis aperuit; quicumque cùm pro salute conjugis lætus, mulieri munera deferri juberet, illa: Horum, inquit, ò Rex, nihil capitiva dignatur, aurum despicit, argentum respuit, jejunio quasi cibo pascitur; hoc solum ei muneris dabimus, si eum, qui me, illa invocante, sanavit, Christum Deum colamus. Ad hoc tunc Rex segnior fuit, & interim distulit, sæpiùs licèt ab uxore commonitus, donec accidit quadam die, venante eo in silvis cum comitibus suis, obscurari densissimis tenebris diem, & per tetræ noctis horrorem, luce subducta, cæcis iter gressibus denegari: alius aliò, diversi ex comitibus oberrant; ipse solus densissima obscuritate circumdatus, quid ageret, quò se verteret, nesciebat; cùm repentè anxios salutis desperatione animos cogitatio talis ascendit: Si verè Deus est Christus ille, quem uxori suæ captiva prædixerat, nunc se de his tenebris li- C beret, ut ipsum ex hoc, omnibus omissis, coleret. Illicò ut hęc nondum verbo, sed sola mente devoverat, reddita mundo dies Regem ad urbem perducit incolumem: quique Reginæ rem protinùs, ut gesta est, pandit: evocari jamque captivam, & colendi ritum ut sibi tradat exposcit; neque se ultra alium Deum, quàm Christum, veneraturum esse confirmat. Adest captiva, edocet Deum Christum; supplicandi ritum, venerandique modum, in quantum de his aperire fœminæ fas erat, pandit. Fabricari tamen Ecclesiam monet, formamque describit. Igitur Rex totius gentis populo convocato rem ab initio, quæ erga se ac Reginam gesta fuerat, exponit, fidemque edocet, & nondum sacris initiatus, fit suæ gentis Apostolus. Credunt viri per Regem, fœminæ per Reginam; cunctisque idem volentibus Ecclesia extruitur instanter: & elevato jam perniciter murorum ambitu, tempus erat, quo columnę collocari deberent. Cumque erecta prima vel secunda, ventum fuisset ad tertiam, consumptis omnibus machinis, & boum, hominumque viribus, cum media jam in obliquum fuisset erecta, & pars reliqua nullis machinis erigeretur, repetitis secundò & tertiò, ac sæpiùs viribus, ne loco quidem moveri, attritis omni- D bus, potuit. Admiratio erat totius populi: Regis animositas hebescebat: quid fieri deberet, omnes simul latebat. Sed cum interventu noctis omnes abscessissent, cunctique mortales & ipsa opera cessarent, captiva sola in oratione pernoctans mansit intrinsecùs. Cùm ecce matutinus & anxius cum suis omnibus ingrediens Rex, videt columnam, quam tot machinæ & tot populi movere non quiverant, erectam & super basim suam librare suspensam, nec tamen superpositam, sed quantum unius pedis spatio in aere pendentem. Tunc verò omnes populi contuentes, & magnificantes Deum, veram esse Regis fidem, & captivæ religionem, præsentis miraculi testimonio perhibebant. Et ecce jam mirantibus adhuc & stupentibus cunctis, in oculis eorum sensim supra basim suam, nullo contingente, columna deposita, summa cum libratione consedit. Post hoc reliquus columnarum numerus tanta facilitate suspensus est, ut omnes, quæ superfuerant, ipsa die locarentur. Postea verò quàm Ecclesia magnificè constructa est, & populi fidem Dei majori ardore sitiebant, captivæ monitis ad Imper. Constantinum totius gentis legatio mittitur. Res gesta exponitur: sacerdotes mittere oratur, qui cœptum erga se Dei

munus implerent. Quibus ille cum omni gaudio & honore E transmissis, multò ampliùs ex hoc lætatus est, quàm si incognitas Romano Imperio gentes & regna ignota junxisset. *Ruffin. lib. 1. hist. Eccl. c. 10. Baron. tom. 3. Annal. ad an. 327.*

NAAMANIS DUCIS IDOLOLATRÆ CONVERSIO.

Naamanes Saracenorum Dux prædam egit maximam, in qua adolescentem Christianum formosissimum per manus trium militum abducebat. Videnti hoc Abbate Jordane, commota sunt viscera ejus, vel eo maximè quòd adolescens ille ejus opem exposceret, & se eripi de hostium manibus plorans deprecaretur. Jordanes petens tertiò repulsam passus est, nec oblato pretio retineri potuit. Non possumus, inquiunt, dimittere: Sacerdoti enim nostro promisimus, si quid pulchrum ceperimus, id ei oblaturos, ut deo suo sacrificium offerat. Tu itaque senex, vade; alioqui si moram feceris, cervicem tibi amputabimus. Dubius tunc quid ageret senex, prostratus in terram, dixit: Salvator noster Christe Deus, salvum fac servum tuum. Repentè dæmon tres illos milites invasit: quo authore, ipsi se invicem gladiis confoderunt: hacque ope divina adolescens eorum manus evasit. Qua ultione territus Naamanes sceleratissimus & flagitiosissimus, adeò ut etiam sua F manu homines dæmoniis suis mactaret, ad sacrum baptisma accessit, & Veneris statuam non auratam, sed auream prorsus igne liquefactam pauperibus distribuit, ac simul omnes suos ad fidem adduxit. *Euang. hist. Eccl. lib. 6. c. 23.*

FIDEI PROPAGANDÆ ZELUS.

Ladislaus Hungarorum Rex, dum vastata Transylvania milites suos in hostem jam victum acriter desævire conspiceret, signo tubæ dato, inclamavit, parcerent humano sanguini, & fugientem potiùs caperent multitudinem, ut si orthodoxam fidem illi amplectantur, Dei populum multiplicarent. *Refert Bonfinius lib. 4. Dec. 3. Beyer. in Apophth. Christ.*

* FIDEI CONSTANTIA. EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Nabuchodonosor Rex fecerat statuam auream, & miserat ad omnes Principes & Satrapas Regionum, quæ sub ditione sua erant, ut convenirent universi ad dedicationem statuæ, addito capitali supplicio iis, qui ad sonitum instrumentorum musicorum procidentes, statuam non adorarent: quòd nempè mitterentur in fornacem ignis ardentis. Itaque tres viri à Rege constituti super opera Regionis Babylonis, Sidrach, Mi- G sach, & Abdenago, contemperunt edictum Regis, & statuam adorare noluerunt, sed Regi impia jubenti restiterunt; & tormenta minanti insultarunt, dicentes: Ecce Deus noster quem colimus, potest nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ò Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, ò Rex, quòd Deos tuos non colimus, & statuam quam fecisti non adoramus. Quocirca in fornacem missi, ambulabant in medio flammæ, laudantes & benedicentes Deum. *Daniel. cap. 3.*

Propheta Daniel apud Darium Regem accusatus, quòd legem ab eo latam fuisset prævaricatus orando & obsecrando Deum suum: (tulerat quippè legem Darius, ut omnis qui peteret petitionem aliquam à quocunque Deo & homine, usque ad triginta dies, præter quàm à se solo, mitteretur in lacum leonum;) missus in lacum leonum, illæsus exivit, neque ulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo. *Daniel. c. 6.*

Stupenda fuit constantia Eleazari, qui erat de primoribus Scribarum in fide & religione sua, ut neque gravissimæ mortis supplicio ab illius potuerit observatione avelli. Cum H enim aperto ore hians compelleretur carnem porcinam comedere, gloriosam mortem magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè ad supplicium præibat, & destinaverat non admittere illicita propter vitæ amorem. Unde ne simulare quidem voluit se carnes comedisse, quas Rex præceperat. Non enim, inquiebat, nostra ætate dignum est fingere, ut multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & modicum vitæ corruptibilis tempus, desipiant, &c. Quare diris cruciatibus affectus, cum plagis perimeretur, ingemiscens dixit: Domine qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cum à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior. 2. *Mach. cap. 6.*

Sed & decretum exierat in proximas civitates, suggerentibus Ptolomęis, ut pari modo & ipsi adversùs Judęos exsurgerent, ut sacrificarẽt; eos autẽ qui nollent transire ad instituta Gentilium, interficerent. Dиæ autem mulieres, non attendentes impiis decretis, suas proles circumciderant, quòdque hoc fecissent de-

A latæ sunt, quas infantibus ad ubera suspensis, cum per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt. *Ibid.*

Plures quoque ad proximas speluncas coeuntes, latenter Sabbata celebrabant: cumque ea res Philippo innotuisset, flammis succensi sunt, eò quòd verebantur propter religionem & observantiam, manu sibimet auxilium ferre. *Ibid.*

Excedit superiora omnia septem Machabæorum fratrum, matrisque illorum memoranda in Religione & avita fide constantia, quam S. Scripturæ verbis adscribam. Contigit septem fratres unà cum matre sua apprehensos, compelli à rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quæris, & quid vis discere à nobis? parati sumus mori magis, quàm patrias Dei leges prævaricari. Iratus itaque Rex, jussit sartagines & ollas æneas succendi. Quibus statim succensis, jussit ei qui prior fuerat locutus, amputari linguam, & cute capitis abstracta, summas quoque manus & pedes ei præscindi, cæteris ejus fratribus & matre inspicientibus: & cum jam per omnia inutilis factus esset, jussit ignem admoveri, & adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua cum diu cruciaretur, cæteri unà cum matre invicem hortabantur mori fortiter, dicentes: Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione Cantici declaravit Moyses: Et in servis suis consolabitur. Mortuo itaque illo primo, hoc modo, sequentem inducebant ad illudendum: & cute capitis ejus cum capillis abstracta, interrogabant, si manducaret, priùs quàm toto corpore per membra singula puniretur? At ille respondens, patria voce dixit: Non faciam. Propter quod & iste sequenti loco primi tormenta suscepit, & in ultimo spiritu constitutus, sic ait: Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resuscitatione suscitabit. Post hunc tertius illuditur, & linguam postulatus, citò protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait: E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges, nunc hæc despicio, quoniam ab eo ipso me ea recepturum spero; ita ut rex, & qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quòd tanquam nihili duceret cruciatus. At hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes, & cum jam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datis spem exspectare à Deo, iterùm ab ipso resuscitandos: Tibi enim resurrectio ad vitam non erit. Et cum admovissent quintum, vexabant eum. At ille respiciens eum, dixit: Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare, genus nostrum à Deo esse derelictum. Tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius qualiter te & semen tuum torquebit. Post hunc ducebant sextum, & is mori incipiens, ait: Noli frustra errare, nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis: Tu autem ne existimes tibi impunè futurum, quòd contra Deum pugnare tentaveris. Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem quam in Deum habebat. Singulos illorum hortabatur voce patria, fortiter repleta sapientia, & fœminæ cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad eos: Nescio, qualiter in utero meo apparuistis: neque ego spiritum & animam donavi vobis, & vitam & singulorum membra non ego ipsa compegi; sed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum vobis iterùm cum misericordia reddet, & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus. Antiochus autem contemni se arbitratus, simul & exprobrantis voce despecta; cum adhuc adolescentior superesset, non solùm verbis hortabatur, sed cum juramento affirmabat, se divitem & beatum facturum, & translatum à patriis legibus amicum habiturum, & res necessarias ei præbiturum. Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit Rex matrem, & suadebat ei, ut adolescenti fieret in salutem. Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, patria voce dixit: Fili mi miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi. Peto nate, ut aspicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiet, ut non timeas carnificem istum, sed pignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Cùm hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysem. Tu verò qui inventor factus es omnis malitiæ in Hebræos, non effugies manum Dei. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur. Et si nobis propter increpationem & correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est: sed iterum reconciliabitur verbis suis. Tu autem ô scelestè, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus, nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis judicium effugisti. Nam fratres mei modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ affecti sunt: tu vero judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exsolves. Ego autem, sicut & fratres mei, animam & corpus meum trado pro patriis legibus, invocans Deum maturiùs genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis & verberibus confiteri, quia ipse est Deus solus. In me verò, & in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum justè superducta est. Tunc Rex accensus ira, in hunc super omnes crudeliùs desæviit, indignè ferens se derisum. Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens, novissimè verò post filios & mater consumpta est. *Lib. 2. Machab. c. 7.*

EXEMPLA HISTORICA.

Dum Joannes Euangelista Ephesi, atque adeò in tota Asia verbum Dei prædicaret, anno Christi Redemptoris nonagesimo secundo, sive invidia Apollonii, qui in Christianos infensissimus erat, vel fortè Euphratis philosophi desertoris apud Domitianum agentis, his artificiis assueti, aut opera Ebionis hæresiarchæ, ejusdem Joannis hostis acerbissimi, ad Domitianum Imp. reus impietatis à Proconsule Asiæ Romam vinctus missus fuit. Impius Imperator noluit ejus faciem videre, sed ad portam Latinam duci jussit, & in ferventis olei dolium illum vivum demitti, priùs tamen flagris cæsum, & majoris ignominiæ causa tonsum: ex quo, divina Domini nostri JesuChristi protegente gratia, velut athleta constantissimus, non combustus, sed tanquam unctus, sine ullo doloris sensu, magna omnium admiratione illæsus exivit. Hæc ita se habere confirmat imprimis vetus tam insignis miraculi monumentum apud portam Latinam, ubi sævum illud constat illatum fuisse supplicium. Imò & ipsa dies, qua hæc facta sunt, pridie nonas Maji: quæ perpetua rei memoria illustratur, dum eadem quolibet anno recurrente, Romæ & alibi annua celebritate recolitur. *Tertul. de Præscript. cap. 36. D. Hieron. lib. 1. in Iovinian.*

Cum Agapetus Pontifex Anthimum Patriarchatu Constantinopolitano deposuisset, Constantinopolim profectus est. Eò ingressus, primùm cœpit habere altercationem cum Justiniano Augusto: dum verò contentio versaretur, ita Dominus adfuit, ut ibi Anthimum Episcopum Arrianum inveniret. Ac tum dixit Agapeto Justinianus: Aut consenti nobis, aut exilio deportari te faciam. Tunc beatissimus Agapetus respondit cum gaudio dicens ad Imperatorem: Ego quidem peccator ad Justinianum Imper. Christianissimum venire desideravi: nunc autem Diocletianum inveni; qui tamen minas tuas non pertimesco. Et dixit ei iterùm Agapetus: Tamen ut scias tu Anthimum idoneum non esse religioni Christianæ, non confitetur ille duas naturas in Christo. Tunc ex præcepto Augusti eo accersito, & discussione facta, nunquam voluit confiteri in doctrina Catholicæ responsionis ad interrogationem beati Papæ duas naturas in uno Domino nostro Jesu Christo. Tunc piissimus Augustus Justinianus gaudio repletus, humiliavit se Sedi Apostolicæ, & adoravit beatissimum Agapetum. Eodem tempore ejecit Anthimum Arrianum à communione, & expulit in exilium. *Ex Anastasio, Baron. tom. an. 536.*

Cum Præfectus quidam Valentis Imp. Cæsaream aliquando venisset, accersitum ad se magnum Basilium honorificè tractavit, placidèque allocutus hortabatur, ut tempori cederet, neque tot Ecclesias adducere in discrimen vellet tenuis exquisitione dogmatis: promittebat & ab Imperatore illi amicitiam, & à se illius occasione multa beneficia. At divus ille vir adolescentulis congruere tales sermones respondit, nam hos & his similes inhiare hujusmodi rebus: qui verò essent innutriti divinis litteris, eos nullam syllabam illarum in discrimen venire pati posse; solereque, si res poscat, nullum genus mortis pro illis subeundæ recusare. Imperatoris quidem amicitiam magni se pendere cum pietate; qua remota, perniciosam esse dicere. Ferebat hoc ægrè Præfectus, ajebatque eum desipere. Tunc Magnus Basilius: Utinam sempiterna, inquit, hæc mea sit desipientia. Denunciato igitur exilio, jubet eum cogitare, quid agat, & postero die sententiam suam explicare: hisque sermonibus crebræ minæ miscebantur. Ibi ajunt Magnum respondisse Basilium, eundem se illi postridie quoque reversurum, videret modò, ne animum mutare, neve minas exequi nollet. Post hoc colloquium occurrit Imperatori Præfectus, exponitque Regi, quid dixisset Basilius, & qua esset ille virtute ac animi præsentia. Sed Imperator tacuit, & veniens in urbem, comperit divinitus inflictas domui suæ plagas, &c. *Theodoret. lib. 4. histor. cap. 19.*

Cum idem Basilius, Ecclesiæ Cæsariensis pastor, ab eodem Valente ad Præfecti tribunal missus est, ibi Præfectus assistens, eum interrogat, quanam de causa religionem Imperatoris non complecteretur; atque ille, quòd hoc sic Deus non præcepit, inquit: Et insuper Imperatoris errorem reprehendit atque ὁμοούσιον confubstantiale defendit: ubi verò ille mortem ei minatus est, Basilius gratiam se illi eo nomine habere dixit, quippe qui discedere ex tali rerum statu non gravatè cuperet. Et cùm Præfectus ampliùs eam rem deliberare juberet, Basilius, Ego quidem, inquit, & hodie & cras idem futurus sum: utinam tu teipsum non mutasses: Creatura enim cum sim, creaturam adorare, Deumque esse profiteri, in animum non inducam meum: sed neque religioni vestræ me aggregari sustinebo. Tametsi enim vos clarissimi, & non minima orbis pars esse existimamini; me tamen minimè decet hominibus gratificari, & propterea fidem in Deum parvi pendere: quam ego medius fidius proditurus non sum, etiamsi mihi bonorum publicationem, & exilium, & aliud quidquam gravium ærumnarum, mortemque adeò ipsam mineris: nihil enim rerum talium mœrorem mihi afferre potest. Quòd si facultates meas expetis, pannos hosce & cilicia, atque libros paucos, qui in mundo meo sunt, si hos, inquam, adamasti, recipe. Sin ut exilii causa solum vertam mavis, paratus ad id sum. Exul verò quomodo ero, qui semper terram quasi peregrinus pererro, & ad regionem aliam vehementer aspiro? Corpus porrò hoc, vel post primam plagam, sensus omninò expers, & cruciatibus superius prorsùs futurum est. Hæc atque his similia alia quum liberrimè Basilius dixisset, consternatus ad viri prudentiam, Præfectus celeriter ad Imperatorem percurrit; eidemque Basilium constantiorem esse, quàm ut à sententia sua suasione deducatur, renuntiat; quapropter aut propalam in eum animadverteret, aut persuadere minis illum posse, existimare desineret. Imperator tum quidem quievit. *Niceph. lib. 12. histor. Eccles. cap. 18.*

Anastasius Imp. Episcopum quendam Oeniandum audiens disertum admodùm esse, & qui ora omnibus sententiæ de passo Deo assertoribus obturaret, eum ad se vocatum hortatus est, ut ad suam factionem desciscere, pollicens eum quicquid petiit, illicò accepturum. Cui Episcopus: Tu, inquit, potuis ad ortodoxos transi, ne, dum opiniones impiorum hominum, Severi, Eutychis & Dioscori, amplecteris, æterno igni addicaris. Simulque apprehendens Imperatoris chlamydem: Hæc, ait, vestis nequaquam te post mortem sequetur, ô Imperator: sed sola comitabitur pietas, ac virtutum habitus. Mistam fac Ecclesiam, quam Christus suo redemit sanguine. Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, neque ullum Ecclesiæ decretum perfectè intelligis, tantùm impostoris & scurrilibus calumniis fatuos terres. Satis tibi sit dignitatis, quòd Imperator es; antistites Ecclesiæ vexare noli. Ad hæc Imperator pudore suffusus obmutuit. Pauperrimus autem cùm esset ille Episcopus, ne obolum quidem ab Imp. voluit accipere: adeò liber erat, & solius in Deum fidei, ac pietatis rationem habens, terrena calcans omnia. *Cedrenus apud Zonaram tom. 3. Annal. in Anastas.*

Julianus Imperator Cæsarium (ut ejusdem frater Gregorius Nazianzenus scriptis prodidit) iis Reip. muneribus præfecit, quibus auctoritas & amplitudo inesset; quem nunc verborum lenociniis ac ingentibus promissis, nunc terroribus & minis, omnique machinarum genere in suum obsequium erroremque trahere conatus est: sed strenuus Christi athleta, superior semper è lucta excessit, crucis opprobrio imperii posthabens majestatem. Cùm enim non simulatum Christiani hominis figmentum, sed verus esset Christianus, certò sciebat, quàm ampli gloriæ laudisque thesauri sub crucis ignominia delitescerent. *Gregor. Nazianz. orat. in funere fratris.*

Liberatus Abbas, Bonifacius diaconus, Rusticus subdiaconus, Servus subdiaconus, Rogatus, Septimus & Maximus monachi, ex monasterio Carthaginem pertracti, primùm blanditiis ad Arianam perfidiam solicitati sunt. Illi verò uno ore & animo suo coram omnibus confessi sunt fidem, dicentes: *Unus Deus, una fides, unum baptisma*; nec poterit in nobis iterari, quod in doctrina Euangelii semel dari præceptum est: *Quia qui semel lotus est, non habet necesse, ut denuò laveatur, sed mundus est totus.* Satius est, momentanea perferre supplicia, quàm æterna subire tormenta. Jubet Rex navem sarmentis impleri, confessoresque ligatos superimponi, igneque subjecto, & navi in pelagi medium promota, concremari. Illi magna cum fiducia cantabant: Gloria in excelsis Deo: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quando pro fide Dei nostri supplicia perferemus, ne acquisitæ fidei indumentum amittamus. Ignis cùm accenderetur, sæpiùs extinctus est. Ergo robore & furore perculsus Rex, mandavit eos remorum vectibus necari. *Victor Vticen. lib. 4. de pers. Vandalorum.*

Hoc loco historiam de fœmina quadam præstantissima planè memorabilem narrabo: nam fœminæ etiam divino pietatis amore ac studio armatæ, unius tyranni rabiem prorsùs contempserunt. Publia fœmina illis temporibus nobilissima, & propter virtutis suæ præstantiam, plurimorum celebrata fermonibus, matrimonii jugo aliquandiu copulata, fructum Deo dignum sanè admiratione obtulit. Nam Joannes, qui longo tempore presbyteris Antiochiæ præfuit, & sæpè ad primatum Apostolicum suffragiis delectus, semper illum honoris gradum recusavit, ex ejus ventre tanquam admirabili solo editus est. Hæc mulier chorum virginum perpetuam castimoniam professarum secum habens, Deum omnium opificem ac salvatorem hymnis assiduè celebrare solebat. At cùm Imperator illac prætergrederetur, virgines inter se clariori voce canunt, ratæ illum conscleratum tyrannum contemnendum esse, & omnium irrisione ludendum. Canebant autem illos potissimùm psalmos, quibus debilitas simulacrorum scitè deriderentur, & cum David dicebant: *Simulacra Gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum.* At postquam versus, qui illa sensus omnis expertia esse pronuntiant, recitaverant, istum adjungebant: *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* His Julianus cum maxima animi ægritudine auditis, jussit, ut eo progrediente conticescerent. At Publia ejus leges parvi æstimans, majori cum alacritate chorum virginum in unum coegit, & illo prætereunte, denuò cantare mandavit: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, &c.* Itaque tyrannus graviter commotus, jubet magistram chori ad se adduci: quam cùm anum propter ætatem ingravescentem cum primis venerandam cerneret; tamen neque canicie corporis ad misericordiam illius capiendam, neque animi virtute ad honorem ei tribuendum adducitur; sed satelliti cuidam dat mandatum, ut utramque malam verberet, & genas cruentet manibus. Illa hanc contumeliam pro summo honore ducens, domum revertitur, & tyrannum, ut solebat, spiritualibus cantilenis perstringit, non aliter quàm ipse psalmorum scriptor & magister David, qui malignum spiritum, quo Saul agitabatur, compressit. Etenim iste tyrannus, ubi sceleratos dæmones sibi familiares reddiderat, Corybantum more facere, & contra verum Dei cultum rabiem exercere non desistit. *Baronius tom. 4. Annal. ex Theodor. lib. 3. hist. Eccles. cap. 17.*

Saturus, domus Hunerici procurator, accusatore quodam diacono, Marinado vocatur, utque Arianus fiat, postulatur. Cùm autem confessionem veritatis pluris faceret, quàm omnia sua commoda aut damna: uxor adductis communibus liberis, ad genua mariti advolvitur, perque omnia sacra rogat, obsecrat & obtestatur, misereatur sui, & pendentis à lacte matris filiolæ, & reliquorum conjugii pignorum: neu committat, ut quos generis nobilitas reddiderit claros, servili conditioni subjiciantur: non patiatur, ut se vivo, indigno & turpi matrimonio camelarii servi copuletur. Deum haud dubiè respecturum, quòd invitus & valdè gravatim faciat ipse, quod plerique fecissent voluntarii. Sed ipse ex Job ei respondet: *Tanquam una ex insipientibus mulieribus loqueris.* Formidarem, mulier, si tantum hujus vitæ dulcedo esset futura amara, in amissione earum rerum. Imò si tu verè diligeres maritum, nunquam tu eum tuis insidiosis blanditiis in secundæ mortis exitium præcipitare conareris. Age distrahant liberos, auferant uxorem, diripiant facultates: ego de Domini promissione planè securus; hæc verba in mente fixa tenebo: *Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros aut domum, meus non poterit esse discipulus.* Uxor discedit, Saturus spoliatus omnibus, & plurimis suppliciis debilitatus, mendicus demum relinquitur. *Victor Vticens. lib. 1. de persec. Vandal. an. 456.*

Cum jussu Hunerici Vandalorum & Alanorum Regis Libera-

A beratus vir venerabilis, medicus In exilium mitti juberetur cum uxore & liberis, cogitavit impietas Arriana à parentibus filios parvulos separare, quò posset per pietatis affectum etiam virtutem genitorum prosternere, distinguuntur tenera pignora filiorum. Qui cùm vellet lacrymas emittere, authoritate uxoris increpatur, & in ipso meatu exitus sui illicò lacrymæ siccaverunt: Ait enim ei conjux: Et propter filios liberare, perditurus es animam tuam? Computa eos non fuisse natos; nam & ipsos omninò vindicaturus est Christus: nonne vides eos clamantes, & dicentes: Christiani sumus? Sed hæc mulier quid in conspectu judicum egerit, tacendum non est. Nam cùm ipsa & maritus seorsùm, carceris tamen custodia tenerentur, ita ut se penitùs non viderent, mandatur mulieri, dicitur que illi: Solve jam duritiam tuam, ecce jam vir tuus paruit imperio Regis, & noster factus est Christianus. Atque illa: Videam illum, & faciam ego quod voluerit Christus. Educta igitur de carcere, invenit virum suum stantem cum ingenti multitudine pro tribunali connexum; & verum æstimans, quod fecerant inimici, injecta manu apprehendens oram vestimentorum ejus gutturi proximam, videntibus omnibus suffocabat eum, di-
B cens: Perdite & reprobe, gratia Dei & misericordia ejus indigne: quare voluisti ad modicum gloriari, & in æternum perire? Quid tibi proderit aurum? quid argentum? nunquid liberabit te de camino gehennæ? Dixit & alia multa. Cui maritus respondit: Quid pateris mulier? Quid tibi videtur; aut quid fortè de me audire potuisti? Ego in nomine Christi Catholicus permaneo, nec amittere aliquando potero quod teneo. Tunc hæretici mendacii sui conscii, & detecti fallaciam suam colorare minimè potuerunt. Ibidem in civitate Culusitana quædam matrona, auctrix nominis sui Victoria, dum in conspectu vulgi continuato suspendio cremaretur, à marito jam perdito filiis præsentibus ita rogabatur: Quid pateris conjux? Si me despicis, vel horum, quos genuisti, miserere impia parvulorum. Quarè obliviseris uteri tui, & pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperisti? Ubi sunt fœdera conjugalis amoris? Ubi societatis vincula, quæ inter nos dudum honestatis jure tabulæ conscriptæ fecerunt? Respice, quæso, filios ac maritum, & regiæ jussionis implere festina præceptum, ut & imminentia adhuc tormenta lucreris, simul & mihi doneris & liberis nostris. Sed illa nec filiorum fletus, nec serpentis audiens blandi-
C menta, affectum multo altiùs elevans à terra, mundum cum suis desideriis contemnebat. Quòd cùm jam continuatione suspendii vulsis humeris etiam qui cruciabant, conspicerent mortuam, deposuerunt omni parte exanimem. Quæ postea retulit, quandam sibi Virginem astitisse, atque tetigisse membra singula, & illicò fuisse sanatam. *Victor Vricensis lib. 3. de pers. Vandal.*

In Edessa Mesopotamiæ civitate Martyrium est S. Thomæ Apostoli splendidum & illustre, in quod frequentes conveniunt propter loci sanctitatem. Cùm hoc Valens Imperator cernere vellet, cognovisset que, universam convenientium multitudinem hæresim suam detestari, fertur Præfectum manu percussisse, quòd non curasset eos inde expelli. Præfectus autem, cùm contumelia hac accepta paratus esset vel invitus Imperatoris iræ morem gerere, occultè (non enim tot virorum cædem perpetrare volebat) significat, ne quisquam in Martyrio deprehenderetur. Verùm nemo acquiescebat illius nec consilio, nec minis: Omnes enim sequenti die ad Oratorium confluunt. Cùm autem Præfectus multorum militum manu stipatus, ut Imperatoris iram exequeretur, ad Martyrium illud properaret,
D mulier quædam paupercula filiolum suum manu trahens ad martyrium currebat, & ordinem satellitum Præfecti interrumpebat. Indignatus autem Præfectus, mulierculam ad se duci jubet, illamque alloquitur, dicens: Quò tam inconditè curris infelix mulier? Cui illa: Quò alii, inquit, currunt. Ille vicissim: Non audisti, inquit, Præfectum cunctos interempturum, quos ibi repererit? Mulier: Audivi, ait, & ob eam causam festino, ut & ipsa ibi inveniar. Audito hoc Præfectus, admiratur convenientium dementiam, Imperatoremque accedit, ac instruit, cunctos esse pro fide sua mori paratos; nec consonum esse rationi, ut tantus hominum numerus brevi tempore occidatur. Atque ita Imperatori, ut iram poneret, persuasit. *Socrates l.4. hist. Eccl.cap.18.*

Symphorosa Tiburtina Getulii martyris uxor, septem ex eo filios peperit, quibus ut fidei magistra ab incunabulis fuerat, ita & iisdem dux ad martyrium evasit. Nam unà cum illis, Adriano Imp. comprehensa, cum à fidei, quam sanguine suo maritus obsignaverat, firmitate divelli nullo modo valeret, saxo ad collum alligato in profluentem dejicitur. Postridie verò illius diei septem filii ad palum alligati, variis tormentorum cruciatibus affecti, gratissimæ Deo hostiæ exiterunt. *Brev. Roman.* E
18. *Julii.*

Felicitas matrona Romana, etiam septem filiorum parens, unà cum iisdem in persecutione M. Aurelii Antonini, à Publio illius Præfecto primùm blanditiis, deinde minis, ad extremum tormentis, ut fidem Christianam abjurarent, tentata, cum Deos venerari abnueret, martyrio coronata est. Postquam filios ad palmam eamdem excitasset, & ante menses quatuor præmisisset; neque enim, ait de illa *S. Aug. serm.* 110. *de divers.* intuebatur quam vitam finirent, sed quam inchoarent, fœcundior virtutibus, quàm fœtibus: videns certantes, in quibus omnibus & ipsa certabat, & in omnibus vincentibus etiam ipsa vincebat. *Ibid.* 10. *Julii.*

Flavia Domitilla virgo Romana, & Titi & Domitiani Imper. neptis, cum sacrum virginitatis velamen à Clemente Pont. accepisset, à sponso suo Aureliano Titi Aurelii Cons. filio delata, quòd Christiana esset, à Domitiano in Insulam Pontiam proscripta, longum martyrium in carcere duxit. Tandem Tarracenam deducta, dum in Christi confessione constantiorem se præberet, sub Trajano, incenso ejus jussu illius cubiculo, unà cum Theodora & Euphrosyna virginibus, & F
collectaneis suis, martyrii coronam adepta est nonis Maji. *Ibid.* 10. *Maji.*

PUERORUM CONSTANTIA.

In civitate, cui Negræ nomen est, egregium virilis animi specimen edidit quidam Puer martyr, mulierculæ unius ex eis, quæ ad pyram accensam rapiebantur pro Christo, filius. Hunc etenim tenerum adhuc tyrannus retinens, distrahere à matre conabatur, demulcens illum, & quicquid ad animum adolescentuli alliciendum faceret, objiciens. Ibi verò puer matrem aspiciens, femur tyranni momordit, & ad illam procurrit, atque ita unà cum matre sacrificium suaveolens per litationem ad Deum est transmissus. *Niceph. lib. 17. hist. Eccles. cap. 6.*

Vitus admodùm puer, patre invito baptizatus erat: quod cum ille rescivisset, nihil non tentavit, ut à suscepta fide filium removeret. Renuentem verberibus impellit, at frustra. Patre duriora cogitante, unà cum Modesto & Crescentia, qui cum educaverant, Angeli monitu in alienam regionem migrat. Inde evocatus, ut filiam Diocletiani Imp. à Dæmonio liberaret, cum Deos venerari juberetur, constantior tam ipse, G
quàm illius educatores, in fide permansit. Donec exquisitus suppliciis excarnificati, Deo spiritum reddiderunt. *Brev. Rom.* 15. *Junii.*

De Melithone etiam puero memoriæ proditum, quòd cum jussu Agricolai Præfecti in Armenia, in ejus conspectu plures fuissent variis suppliciorum generibus ob Christi fidem cruciati, & ipse quoque contractis cruribus adhuc viveret, matre, quæ nativitatis illius ad vitam spectatrix aderat, cohortante, nihil de constantia remiserit. Quare cum illa reliquorum jam occisorum corpora plaustris imponi cerneret, ut in rogum inferrentur, ac filium suum relinqui, quòd impia turba puerum, si vixisset, ad idolorum cultum revocari posse speraret; ipso in humeros sublato, sancta Mater vehicula Martyrum corporibus onerata tam grato onere proiequebatur. In cujus amplexu ille moritur, ejusque corpus in eumdem rogum mater injecit: Ut qui fidei constantia fuerant conjunctissimi, funeris etiam societate copulati, unà in cœlum ad Christum pervenirent. *Ibidem 9. Martii.*

Narrat Prudentius poeta Christianus libro Peristephanon, seu de coronis, Puerulum non adhuc septennem, Romani H
martyris nobilissimi rogatu coram Asclepiade Præfecto, Dei unius essentiam, & Christi deitatem, explosa de astrorum ethnicorum multitudine, constanter asseruisse. Matre accersita, jussit tyrannus carnificibus, ut pusionem in sublime tollerent, manu pulsarent nates, mox & remota veste virgis verberarent. Cunctis flentibus ad tam immane spectaculum, mater imperterrito vultu, & serena fronte, amore Christi, contumax doloribus stetit. Parvus se fitire exclamat; mater autem eum increpans, dicit, Christianum cedere morti non debere, aquam vitæ in Christo sufficere: fontem illum perennem esse proximum: calicem infantium Bethleemicorum esse exhauriendum: Isaaci parvuli obedientiam, & septem puerorum ex Machabæorum historia constantiam commemorat. Puerulus virili animo virgas strepentes & dolores vulnerum ridet, tortoribus & tyranno insultat victor. In rabiem actus Asclepiades, puerulum capite mulctari jubet. Mater natum gerebat amplexu & sinu. Puerum poposcit carnifex, mater dat, nec immota est fletibus, tantùm osculo impresso ei valedixit, & dum amputat cervicula carnifex, mater psallere docta ex Davidis psalm. 116.
cane-

A canebat: Pretiosa in conspectu Domini, &c. *Prudentius lib. de Coronis sive Peristephanon.*

Annus est & ampliùs, quòd quandam Turcæ navim deprædati sunt, in qua permultos Lusitanos in captivitatem abduxerunt, cum triginta adolescentibus Indis: quorum qui minimus erat, novem annos habebat: maximus natu, decimumsextum nondum excesserat: quos importunè, ut Turcicam legem susciperent, nunc blanditiis, nunc minis, flagellisque adhibitis solicitarunt. Neque tamen cùm exquisitis suppliciis crudelitateque summa in quorundam vibices laridum accensum guttatim instillassent (quod usitatum est apud eos genus tormenti) quenquam à fide Jesu Christi potuerunt dimovere. Quarè indignati tyranni, vi eorum unum circuncideruntur; cui cùm puerili acclamarent, eum tandem Mahometanum esse, quòd circumcisus esset; illis iste respondit: cùm vi circumcisus sit, non voluntate, Christianum se verè adhuc esse. *Ex Annalibus Societ. Jesu.*

Consalvus Fernandus ex Japonia hoc anno ad nos recurrit, & inter cætera, quæ multùm ad divini honoris amplificationem pertinent, unum hoc retulit, quòd nuper Bonzi, qui ipsius ad omnes errores magistri pessimi sunt, ob tanta Christiani nominis incrementa in rabiem versi, Patribus Soci-
B ciet. Jesu ejectis, novos Christianos dolore repleverint: Christianos verò, cùm se sine templo, & pastore animadverterent, hanc laudabilem consuetudinem mordicùs retinuisse, ut in ortu ac occasu per singulos dies, crucem in monte longè à civitate positam adirent, ibidemque suppliciter, fusis ad Deum precibus, se suaque negotia, ac salutem Deo commendarent. Erat verò ibidem ethnico cuidam Christiana juvencula, sed servilis conditionis, quæ unà cum aliis ad crucem adorandam proficisci ex more habebat; quod ei non solùm herus prohibuit, verùm etiam ad pristinos errores retrahere, adhibitis etiam minis, conatus est. Illa virili quadam animi constantia, non ideò se legem fidemque Christianam suscepisse respondit, ut ea rejecta, ad muta, & omninumine carentia idola rediret; minas illius in minimis ponens. Quæ pro more, cùm per temporis opportunitatem ad crucem adorandam cum reliquis Christianis accessisset, herus furore immani correptus, & ira terribilis, redeunti se obvium opponit, & stricto ense, in pauperculam præceps ruens, ea capite truncat. Illa constantissimo animo mortem oppetens, in Angelorum societatem, ut credibile est, triumpho mirabili conscendit. *Ex iisdem.*

• FIDEI DEFECTUS.

C *Ejus causæ plerumque res secundæ, scelera & crudelitates dominantium, atque pusillanimitas & iniquitates populorum.*

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Sodomæ & finitimarum civitatum iniquitates, & miseri eventus, notiores sunt, quàm ut à nobis operoso sermone enumerentur. Describuntur enim illarum populi fuisse pessimi, ita ut clamor eorum multiplicatus, & peccatum eorum aggravatum fuerit coram Domino, usque adeò, ut si vel decem inter illos inventi fuissent justi, non fuissent deleti. Causas verò, ob quas in abominanda hæc scelera inciderit *Sodoma*, per Ezechielem recenset his verbis Scriptura: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus, & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Quatuor ergo vitia tribuuntur Sodomæ: Superbia in appetitu propriæ excellentiæ & vana præsumptione, quæ Dei reverentiam exclusit: gula in usu alimentorum inordinato: divitiarum copia, quæ delicias & voluptates provocabant: & vacatio à bonis operibus, præsertim ab Eleemosynis. *Gen. cap.* 19.
D *Ezech. cap. 6. v. 49.*

Hebræi, cum moram faceret Moyses descendendi de monte Sina, congregati adversùs Aaron, petiverunt Deos qui illos præcederent, immemores omnium memorabilium quæ ostenderat illis Deus. Et larga manu contulerunt in aures uxorum, & filiarum suarum, ut ex iis vitulus conflaretur; cui etiam obtulerunt holocausta & hostias pacificas: *Et sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Ubi (*ludere*) sumitur, ut sit idem quod adorare Idolum, quomodo nonnulli etiam interpretantur illud *Gen. 21. Vidit Sara ludentem Ismaelem cum Isaac*, id est, adorantem idolum, & illud Isaac ostendentem, ut illud ipse etiam venueretur. *Exod. cap.* 32.

Nabuchodonosor Rex fecerat statuam auream altitudine cubitorum LX. latitudine cubitorum VI. & statuit eam in campo duræ Provinciæ Babylonis, misitque ad omnes principes & satrapas, ut convenirent ad dedicationem statuæ. Qui dum convenissent, præco clamabat voce vehementi: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis: In hora qua audieritis so-
nitum tubæ, fistulæ, & cytharæ, sambucæ & psalterii, omnis- E
que generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam fecit Nabuchodonosor Rex. Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Post hæc igitur statim ut audierunt omnes populi, & linguæ, & tribus, adoraverunt statuam auream. Indubitè alii religionis impio zelo, alii tam atrocis pœnæ formidine stimulati. *Dan. c. 3.*

Postquam Dominus Jesus cæci à nativitate oculos aperuisset, altercatio non modica inter Judæos exorta fuit, ita ut plures ex illis non crederent, quia is cæcus primùm fuisset, qui nunc videbat. Donec vocatis parentibus ejus, inquirerent, an is filius eorum esset, & quidem à nativitate cæcus. Accesserunt illi, & filium suum à nativitate cæcum fuisse asseruerunt: *Quomodo autem nunc videat*, inquiunt, *nescimus nos: ipsum interrogate, ætatem habet*; & dicit signanter Evangelista: *Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos:* Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret, hoc est, ut omnis, qui illum tanquam Messiam reciperet, publicis conventibus inter- F
diceretur, sive ut nunc loquimur, excommunicaretur. Intel-
lexerant quidem parentes à filio, quis ei visum dederat, simul modum quem adhibuerat: at ob metum Pharisæorum non audebant confiteri palam. Quamvis *Cyrillus* notet, eos excusari tam cauta responsione ab omni infidelitate, & inconstantia in credendo: neque enim apertè negant se ignorare, quomodo videret filius; sed illum quòd ætatem haberet, & pro se loqui posset, interrogandum affirmant. *Ioan. 9.*

EXEMPLA HISTORICA.

Licinio Imper. ad Sebasten Armeniæ urbem quadraginta militum fides in Jesum Christum illuxit, qui sæpius in carcerem teterrimum detrusi, & cruciatibus tentati, tandem hyemis tempore, lacero corpore sub aperto aere pernoctare jussi, ut frigore enecarentur. Verum unus ex illorum numero, cui animus ad sustinendum frigus defecerat, in proximum tepefactum balneum insiliit, sanctosque collegas suos summo dolore affecit. Quos tamen novo gaudio Deus excitavit, quando carceris Janitor se etiam Christianum professus, reliquis triginta novem adjunctus fuit quadragesimus. *Breviar. Rom. 9. Martii.*

Marcellinus Romanus Pontifex in immani illa Diocletia- G
ni Imp. persecutione territus, Deorum simulacris thus adhibuit, ut pœnas tyranni evaderet, parùm memor illius, quo discipulos suos Dominus Euangelio adversùs insultus malignantium armaverat: Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quod faciant: verùm peccati illius mox pœnitens, Sinuessam ad Concilium plurimorum Episcoporum cilicio indutus venit, & delictum suum confessus est. Et Romam ad Diocletianum reversus, eidem insultavit, quòd ad tantam eum impietatem adegisset; quam ob rem ab eodem unà cum tribus Christianis, capite plexus est. *Ibid. 26. Apr.*

VVINULORUM ET SLAVORUM GENS A CHRISTIANA FIDE RESILIIT,

Per Avaritiam Regentum.

Anno decimo regni Henrici Germaniæ Regis, mortuus est Dux Saxoniæ Benno, vir omni probitate conspicuus, & strenuus Ecclesiarum defensator: cujus principatus hæres factus est Bernardus filius ejus, licèt à paterna felicitate divertet-
rit. Ex illo enim tempore, quo Dux constituus est in hac re- H
gione, nunquam cessavit discordia & perturbatio; quoniam Dux Henrico Imperatori rebellare ausus, totam secum ad re-
bellandum Cæsari movit Saxoniam: deinde insurgens in Christum, omnes Ecclesias Saxoniæ terruit arque turbavit, illas præcipuè, quæ in memorata rebellione ipsius malitiæ noluerunt applicari. Accessit his malis, quòd idem Dux, tam paternæ quàm avitæ devotionis, quam erga Slavos habebant, pœnitùs immemor, gentem VVinulorum per avaritiam crudeliter opprimens, ad necessitatem paganismi coegit. Sanè eo tempore Slavorum dominio potiti sunt Theodoricus Marchio & Dux Bernardus, illo quidem Orientalem, isto Occidentalem possidente provinciam, quorum ignavia Slavos coegit fieri fidei desertores. Rudes adhuc in fide Gentilium populos, quos optimi quondam Principes cum magna levitate foverant, temperantes rigorem his, quorum propensiùs insistebant saluti, isti tanta crudelitate insectati sunt, ut excusso tandem servitutis jugo, libertatem suam armis defendere cogerentur. *Ex Chron. Slavorum Helmodi. Baron. tom. 11. Ann. 1012. 9.*

POLONIÆ IN FIDE DEFECTUS, CONSPIRATIONE NOBILIUM.

Anno Domini 1022. contigit concuti Polonorum Eccle-
siam